





GISCAR
DE
FERRIE

















GVLIELMI GISCAFERII MEDICI BELOCARENSIS CIVIS

Romani in Romano Gymnasio medicinam publicè profitentis.

De febrium natura & curatione libri duo
Ad illustrißimum & excellentißimum
D. Iacobum Boncompagnum Ducem Sorae, Vineolæ Marchionem & generalem S. R. E. gubernatorem.



PARISIIS,
Apud Robertum Colombel via ad D. Ioannem, Lateranensem in Aldina Bibliotheca.
M. D. LXXXI.

Extraict du Priuilege.

PAr grace& Priuilege du Roy, donné à Paris, le ſeptieſme iour de Feburier 1581. *Signé* par le conſeil le Comte. Il eſt permis à Michel Clopeiau, & Robert Colombel Libraires, imprimer ou faire imprimer, vn liure intitulé *G. Giſcaferij de natura febrium libri duo*, & faict deffenſes à tous autres Libraires ou Imprimeurs, imprimer ny faire imprimer ledit liure, &ce iuſques au terme de neuf ans, à conter du iour que ledict liure aura eſté acheué d'Imprimer, ſur les peines contenues audict Priuilege.



ILLVSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO D. IAcobo Boncompagno Sorae Duci, Vincolae Marchioni , generali S. R. E. Gubernatori . Guilielmus Giſcaferius.

S. D.



I qualem à principio natura corporis humani ſtructuram & temperiem inſtituit, talem perpetuo integram & incorruptam ſeruare potuiſſet, medicinæ præceptis & legibus nullus eſſet relictus locus. Sed cum eorum omnium quæ cœli ambitu continentur, ob pugnantes elementorum naturas, ita & hominis certus ſit interitus, variis eum externarum rerum injuriis & infinitis mutationibus exagitari ac perturbari neceſſe eſt: ideóque Dei optimi munere atque beneuolentia medicina ad ſalutem hominum reperta eſt: vt eius primum valetudinem, cuius maxima eſt inconſtantia & inſtabilitas, tueatur: deinde omnes quotquot eum vexant affectiones diligenter penituſque cognoſcat, co-

gnitas opportunis et legitimis remediis profliget, vt quoad eius fieri poßit, humana vita medicinæ artis beneficio à morborum iniuriis deffendatur. Huc medicinæ finis, huc medicorum consilia omnia & decreta pertinent, vt quicunque præter naturam affectus irruunt, vires labefactant, vitæque descrimē afferunt, quam citißimè tutißiméque depellantur: licet autem morborum innumerabiles sint differentiæ, quæ variè variisque corporis partibus primo affectis incidunt, frequentißimus pernicioßißimusque esse videtur in quo totum corpus statim grauiter affligitur, vires labefactantur, & nulla externarum aut internarum partium non grauiter afficitur. Hunc Latini febrem à feruore, Græci ab ignei caloris exuperantia πύρετον vocauerunt. Hic adeo frequens in nobis est adeo facile accenditur, vt eam aliquando vel paruus externarum causarum excessus excitet. Cæteris autem morbis ita cohæret, vt nullum ferè non aut sequatur, aut antecedat. Huius idea vnica quidem est, differentiæ multæ: quæ ex caloris natura, & symptomatum multiplici conditione distinguntur. Varia est in huius affectus explicatione scriptorum sententia, varia quoque remediorum inuentio, singulis propriam medicamentorum & symptomatum rationem exigentibus. Neque facile est in tam varia & obscura affectus natura, singulorum quæ accidunt causas exponere: sua cuique opinio verior & firmioribus rationibus inniti videtur. Alia quoq; inter eos non parua differentia est: quod aliqui causarum continentium & symptomatum solam ferè notitiam proponunt: alij remediorum vsum, & quæcunque experimentis iamdudum obseruata sunt. Illi in examinandis & diluendis argumentis & difficultatibus ita controuersia-

rum obscuritate legentium animos implicant, vt sæpius inter peritissimos haud facile constet quid in propositis dubitationibus sentiendum sit: & neglecta interea curatione, vniuersam febrium cognitionem in explicandis cõtrouersiis positam arbitrantur, aliis sola curatio proposita est, sordent disputationes, & omnis de qualibet re disceptatio, clara & obscura peræque iudicantur: hi nulla ratione, nullis demonstrationum legibus innixi, puris verbis singula prosequuntur: & empiricorum more, solis remediis aduersus morbos pugnandum existimant: corporis vitia non disceptationibus, sed legitimis auxiliis depelli. Horum aliqui pleraque turbide, præter ordinem, & barbaris vocibus inculcãt, quæ nisi certa lege & methodo disponantur, grauiorem plerunque morbum efficiunt. Alij dum hæc vitia student euitare, noua afferunt incommoda: hi puriori quidem sermone, sed presso contractoque vniuersalem tantum methodum curationis profitentur: quam ad cuiusuis morbi depulsionem satis esse existimant & remedia quidem multa ex immensa materia proponunt: Sed quæ nuda & inconcinna cum sint, parum lectori prodesse possunt: nam vtendi modum, medelarum formulas, quæ ex simplicibus comparantur, aut si quæ morborum, temporum, aut symptomatum diuersa ratio postulat, omninò supprimunt, quæ medicinam facientibus non vtilia modo verum etiam necessaria videntur. Cum itaque vix vllus absolutam febrium notitiam & curationem plenè tradiderit, dubitaui, facturus ne operæ pretium essem, si vtranque medicinæ partem in febribus explicandis coniungerem: cum si alterutra desit, manca & debilis notitia futura sit. Verùm cum in publica interpretatione quædã annotassem, quæ passim des-

cripta circumferebantur, probabili consilio & ratione adductus sum, vt hæc pauca publicis typis excudi & vulgari permitterem, veritus ne si quid in iis laude dignum contineretur, alius sibi arrogaret: aut si quæ vitiata, mihi pro legitimis adscriberentur. In his singulas febrium differentias, causas, signa, symptomata, & prognostica quàm breuissimè ex probatissimorum auctorum sententia & monumentis adduximus: multa quæ ex diuturna meditatione, longoque medendi vsu à nobis obseruata fuerunt adiecimus: singula quæque dubia firmis argumentis & perspicuis demonstrationibus explicauimus: remedia quæ antiquis merito probatissima fuerunt adscripsimus. Quæ iamdudum exoleta, aut temporum vicissitudine deserta & neglecta sunt, suppressimus, ea verò potissimum elegimus, quæ præceptis artis magis congruerent, & quæ partim ars ipsa reperit, partim vsus & experientia comprobauit: quæque passim ab omnibus facilius comparantur, vernacula etiam nonnulla mulierum, aut vulgarium hominum fide & experientia comprobata subiecimus, quorum alia ex vetustorum medicorum scriptis excerpta sunt, alia solo vulgi testimonio nituntur: ne ad absolutam febriũ notitiam & curationem quicquam desideretur. Singula verò proprio ordine & loco ita collocata sunt & disposita, vt nulli vel mediocriter initiato pateat erroris locus. Quæ verò à plerisque rudius tradita sunt, paulo purius explicare conati sumus. Nam verùm quidem est morbos orationis elegantia & nitore non depelli, sed certe illud quoque verum est, infantia & inculto sordidoque sermone neminem vnquam meliorem medicum factum esse, & vt cibi quantũlibet delicati, in sordidis vasis appositi: ita præcepta quanquam per se bona,

horridè & barbarè explicata nauſeam mouent. Neque negare quiſquam poteſt, quin verborum neglectus multarum rerum ignorationem attulerit: multiſque artibus tenebras & caliginem barbaria orationis offuderit. Cæterùm eum modum ſeruare ſtudui, vt neque lectorem immodica verborum copia offenderem, neque contracta nimium conciſaque breuitate ſuſpenderem. Tibi verò (princeps illuſtriſsime) hoc qualecunque eſt inſcribere ac dedicare volui, vt quam omnes in te clementiam, probitatem animi lenitatem, & prudentiam, admirantur: hoc ego quoque munere venerarer & colerem. Video enim vnum propemodum hodie eſſe te, qui honeſta ſtudia foueas, qui homines ingenuarum artium ſcientia excultos amplexeris qui omnem gratiam atque auctoritatem tuam ad eos adiuuandos libentiſsimè conferas. Itaque vix quiſquam hodie in Italia eſt ex omni numero eruditorum, quin ſe à te beneficium aliquod accepiſſe fateatur. Macte virtute Princeps optime & præſtantiſsime. Iſta eſt via qua ſe in cœlum antiqui illi proceres ſubſtulerunt. Nihil eſt, quo propius homines ad Deum accedant, quam hominibus adiuuandis. Glorioſum tibi apud omnem poſteritatem futurum eſt, quoties eruditorum hominum, qui tuis temporibus vixerint, monumenta ſumentur in manus, toties in eorum fronte conſignatam luculentis verbis elucere virtutis ac beneficientiæ tuæ memoriam. Cum tu, vt cœpiſti, bonas artes à contemptu & faſtidio eorum quibus ſordent honeſta omnia, vindicaueris: illæ te viciſsim & virtutes tuas ab obliuione & à vetuſtatis iniuria vindicabunt vale.

M. ANTONIVS. MVRETVS.

GVLIELMO. GISCAFERIO.

QVæ febrim accendant causæ, quæ cuique nocendi
Vis data, & expelli qua ratione queat,
Aureolo cuncta amplexus Gulielme libello,
Præmia quæ tali munere digna feres?
Ipsa quidem virtus, etiam mercede remota,
Sat tibi natiuo pulchra decore placet.
Sed tamen & studiis posita in melioribus ætas
Tandem aliquam vitæ fessa requirit opem.
Et pudor est sæcli docta & neglecta senectus:
Nec regum famæ turpior vlla nota est.
Quo tibi tot iuueni vigilate ex ordine noctes,
Spissa senis Coi dum monumenta teris:
Quo Siluas Academi, & quo lustrasse Lyceum,
Effugiat curam ne quid in orbe tuam:
Si tamen aßiduo tutanda est vita labore:
Nec datur emerito tuta & honesta quies?
Cum tibi præsertim non ignaua otia poscas:
Sed nosci à sera posteritate velis,
Victurisque, tuam chartis extendere famam:
Artibus exculti verum opus ingenij.
Nostra sed ingenuas artes male sæcula tractant:
Nec satis vsquam illis iustus habetur honos.

At tu, si qua fides vati debetur amico,
Ex tripode hæc Pythio fac tibi dicta putes.
Magnanimo iuueni, quo nunc rectore superbit
Vineola, optauit quem sibi Sora ducem,
Huic monumenta tuis vigilata laboribus offer.
Talia qui spectet munera, solus erit.
Illi vni Aonides, illi vni carus Apollo est:
Ille hodie doctos vnus egere vetat.
Cumque chorus virtutum omnis spectetur in illo
Ante alias omnes hæc tamen vna micat.
I modo, nec dubita, non indonatus abibis.
Nunquam in te mores exuet ille suos.

Ματθαίου τοῦ Δεβαρῆ εἰς Ἰλερμον
τὸν γισκαφέριον.

Λᾶστ' ἀσκληπιάδη, πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων
καὶ πάρος ἦσθα βροτοῖς σὴν δι' ἀκεστορίην.
Ἀρτὶ δὲ καὶ πυρετῶν σοφίην γραπτῶς ἀναφήνας,
Δεῖξας ἀκως παθέων Σείριος ὢν προχέει.
Οὐ κρείας τῶν γεγονὼς, ἄστρου βροτὸς, εὖ δίκα καὶ σύ
Ἰλερμ' ἄξιος εἶ σχεῖν πάτον οὐρανίων,
Δεῖ μάτε θηρὶ πελᾶν, καὶ οὐ μένος εἰ ἐνερύκειν,
Καὶ φάος ἀνθρώποις ἤματα πάντα φέρειν.

Erratorum quorundam correctio quæ prælum effugerunt in qua literæ p.m. minoris formæ partes paginarum, principium, scilicet, medium & finem significant. d. verò &. b. paginas.

F.2.b.m.quod f.3.a.f. octauo.no.10.11.meth. b.f.methodus f.4.a. f. ct.f.6.a.f. In exanguibus f.7.a.f.quod f. 11. a. m.mirum fit.a.p.quod eam m. ficcitati f. ergo f.14. b.m. foco.f.17.b.p.qui f.18.b.m.quodquæ f. 19.a.f.materia.b. p.facultatis f.22.b.m. verius f. 23.b. m. retrudatur f. Aphor.f.27.b.p.hisce.m.opportunæ.f.30.a.m.expunge,rei f.fouebantur b.p. Vnde.f.32.a.f. meth. 5.f.37. a.p. concidunt m.sequiora f.39.b.p.ordinati f.40.a.p.modica & Rasis.f.41.a.m.at.f.45.a.p.scirrhis.f.51.a.p.accersiri.m.pituitã.f.61.a.p.vesicula.f.63.a.m. periodicè f.64.a. m. granat. f.65.d.p.an.m.1.b.f.ducum.f.66.b. m. coctionis. f. sint.f. 67.a.f.altera f.69.b.p. potionem f. 74. b.p. copiosus, & indicatur.m.f fit f.76.b.p.raro.Et tanquam f.83.b. f.lib.f. 85.a.m.eò.f.86.b.m.picrę.88.a.p.à falsa.f.90.b.f.sacchari f.91.b.p.thymus.f.94.b.m.catapotiis.f.98.b. f. modis. f. 105.a.m.quartanam f.106 b.m. Philonius 109.a.f. Galenus.f.110.b.f.secanda. 111.b.m. Epithymo 113 p. concoctionis.m.quartanariis 114.a.m.lunæ.b. f. asphaltite. 115. a. m.cimices.f.camissa pallium.116.b.f.appareãt 119.a.p. Electuarij 121.a.f.℥iij.122.b.f.indice ratione.123. a. f. extrema.b.f.quandoque 124.a. f. diuturnior. b. f. tertianæ 125.b.m.varietate.129.b.p.ichorum 130. b.f. omphacini. 132.b.m.omotonoi 133. a.f. adstring.b. m. acervauerint. 135.b.f.œdema.136.b.p.electuario 143.a. m. psyllij.



GVLIELMI GISCAFERII MEDICI BELOCARENSIS ciuis Rom. in Rom. Gymnaſio Medicinam publicè profitentis, de febrium natura & curatione.

LIBER PRIMVS.



STATVTVM nobis eſthoc anno rationem febrium cognoſcendarũ ac curandarũ exponere: id autem varia methodo fieri ſolet, nam plurimis conſuetum eſt Auic. verba & ſententias explicare, quibus tota hæc tractatio continetur. Inſcribitur is liber 1. Fen. quarti canonis. Quod quidem ab his eo conſilio fit, quòd in eo accuratè omnia deſcribantur, quæ ad febrium cognitionem, & curationem pertinent. Quibuſdam magis placet Gal. librum de Feb. differentiis exponere, hi potiùs auctoris opinione & auctoritate ducuntur, quamque audientium ſtudiis &

vtilitati consulere velint, nã cum Gal. in eo opere febrium tantum, differentias, signa, & causas summatim & per capita percurrere docuerit, multa omisit, quę ad absolutam earum cognitionẽ erant vtilia, quæ secundo de crisi lib. tradidit. Multa etiam ipsarum differentias reticuit, quas tum in commentariis in lib. epid. tum alibi explicauit. Præterea in diruendis antiquorum opinionibus multum operæ & temporis consumpsit: vt si quis eum tãtum lib. exponat neque prorsus omniũ febrium notitiã, cum ibi neque Lyppeiriæ neque epiali neque pestilentis, immò neque cæterarum vllius exactè signa docuerit: neque quod in re medica maioris momenti est, vllius omnino febrium curandi rationes, cum totam earũ tractationem in libros. Meth. & primũ lib. ad Glauc. retulerit. Vnde factum est, vt aliis magis placeat librum de febrium differentiis interpretari, & vniuscuiusque ipsarum causas & signa exponere, deinde primum lib. ad Glauc. vnde singularũ, aut earum saltem, quæ præcipue sunt, remedia doceant. Mihi vero nulla eorum omnino sententia probatur. Sed hæc cæteris pręstare visa est, si nulli prorsus auctori addictus ea vobis explicarem, quæcunque apud Hipp. Gal. Auic. cæterósque probatos scriptores de feb. natura, differentiis, signis, curatione, scitu maximè digna cognouissem. Vt autẽ intelligatis quibus rationibus adductus in hanc sententiã venerim, vobis totam consilij mei rationem exponam.

Ego, cum in hoc munere exercendo, nihil po-

tius esse duxerim, quam vt res breuissimo tempore eius medicinæ practicæ partis peritissimos efficiam, quæ mihi quotannis obtigit explicanda: existimaui me, neque huic meo consilio, neque studiis nostris, posse satisfacere, si aliã hoc anno docẽdi rationẽ sectarer. Intelligebã n. si Auic. primã quarti Canonis fen interpretandam suscepissem, tunc lectionibus finem impositum, cum mea vbi opera maximè necessaria esset, & futura vobis de singularum febrium curatione pertractatur, neque n. fieri potest vt quis vel diligẽtissimus medicinæ professor plura quam decem, vel duodecim capita secundi tractatus exponat, in quibus vtilia febrium remedia cõtinentur, tanta n. est in primis capitibus secundi tractatus rerum & vniuersalium præceptorum congeries, vt non facile sit etiã mediocriter conniuentem sine aliqua disquisitione & examine prætergredi. Vnde fieri necesse esset vt præ temporis angustia nulla cuiusque speciei febrium cognoscendarum, nulla remediorum ratio haberetur, quod in medicina facienda præcipuum esse debet.

Si libros tantum Gal. de febrium differentiis explicarem, multas earum per species omitti oportere, nihilque prorsus de curandi ratione tractatum iri, vtrumque autem vobis grauissimum fore cognoscebam.

Si vero libris de febrium differentiis primum ad Glauc. subnectere, vt inde aliqua curãdi ratio traderetur, neque id vnius anni lectionibus posse absolui, & multum in quibusdam esse immoran-

dum, quæ parum vtilia, multáque prætermitti quæ scitu necessaria futura sint, plurimarum febrium signa, & curationem. Supererat igitur, vt hac sola docendi ratione, vestris studiis, & instituto meo possem satisfacere, si nullius auctoris verba sectatus, ex grauissimis quibusque tanquã ex me ipso sententias, & præcepta depromerem. Id autem ea methodo præstare conabor, vt annuo hoc munere, quæcunque ad febrium omnium & singularum naturã, cognitionem & curationem spectant, absoluturus sim, neque nostris lectionibus quidquã immiscens, quod vos inutiliter detineat, neque quidquam omittens, quod ad eã rem opportunum & necessarium esse cognouero.

Quantum autem vtilitatis ex hac tractatione percipere liceat, iis, qui in eam diligenti studio incubuerint, hinc colligi potest, qua nullus morbus frequentior, nullus maior hominum generi solet sponte contingere: perrarò. n. reperitur, qui aut febris non sit, aut febrim non habeat adiunctam, & Hipp. primo epidim. com. 3. tex. 3. acutissimos, maximos, atque grauissimos morbos, ac præ cæteris ait lethales esse in febre continua. Vbi igitur quis optimè hanc medicinæ partem edoctus fuerit, intelligat, se in re medica non parum profecisse.

Cæterum nihil est præterea quod nos præfari oporteat, cum nulla sit operis inscriptio, nullum auctoris nomen, non ordo explicandi libri ad cæteros requiratur, neque huc medicinæ diui-

ſio in ſuas partes referenda eſt, cum id munus eorum potius ſit, qui totius artis initia aggrediuntur, vt rudes adhuc & imperitos auditores cõmonefaciant, quibus partibus contineatur, & quam præcedere, & quam ſubſequi oporteat: vt cognito partium ordine, facilè intelligatur, vnde principia haurienda ſint, & qui libri prius, & qui poſterius legendi. Vobis hæc iamdudum nota eſſe oportuit, qui ad finem iam ſtadii anhelantes deueniſtis. Cæterum cùm tres olim fuerint medicorum ſectæ, methodica iamdudum ab omnibus derelicta, nullum habet fautorem, ex reliquis vtraque etiam nunc à multis excolitur, empirica ſolo ſenſu, rationalis ſeu dogmatica, ſenſu quidẽ in iis, quæ ſenſibus explicata ſunt, in iis verò quæ ſenſus latent ratione duce vtitur, vt ea diligenter cauſas & remedia inquirat. Hanc vnà cum Hippoc. & Gal. vt tutiorem excolemus, & inſectabimur: quod ſi quis quærat quem potiſſimum auctorem imitaturus ſim, & quaſi è veſtigio inſequuturus, vt ſciat quis ſibi præ cæteris ſtudioſius legendus ſit, meminerit, me à Gal. ſententia nunquam diſceſſurum. Verum non abſolutam cognitionem omnium febrium vt nuper dictum eſt, vno libro à Gal. traditam, & idcirco primo loco lib. de febr. different. ſummo ſtudio eſſe legendum: deinde cum ad ſingularum ſigna ventum fuerit, ſecundum lib. de criſibus, curandi rationem ex primo ad Gl. octaua, nona decima & vndecima, methodum eſſe, petendam: Quæ omnia Auic. prima Fen 4. can. miro ordine

perstrinxit. Hi sunt libri quos à vobis diligenter per volutari oportet. Verum hoc precipuum sit, locos Hippoc. & Gal. cæterorumque à nobis citatos reuisere, quibus totius annui muneris scriptura tanquam fundamentis innixa, paulatim surget, & in altum erigetur, ac tandem optatam formam accipiet, quod quidem facillimè præstabimus si summus ille opifex nobis virium animi & corporis firmitatem suggesserit.

Vnus tantum medicinæ finis, sanitas: adipiscendi modi duo. Cap. I.



ARtis medicę vnus est finis sanitas omnium medicorum & philosophorum consensu: scopi verò, seu modi quibus attingitur, duo sunt, vt in lib. de opt. secta cap. 5. Alter ad pręsentem attinet, alter ad absentem, præsens conseruari vult, & sui custodiam indicat, absens profligato morbo sui recuperationem, ad has duas medicinæ partes reliquæ omnes tanquam in finẽ referuntur: prior nostri nõ est instituti, neque n. præsentem sanitatem conseruamus, sed omissam restituimus, curato morbo. At morbus exactè curari non potest, nisi prius cognoscatur, nã prima in curandi methodo indicatio est, quæ à morbi natura, & essentia sumitur: Alia enim ab Angina, alia à pleuritide, alia à febre pituitosa remedia indicantur: itaque si quis omnes morbos curaturus sit, eos prius optimè co-

gnouisse oportet, vt Gal. primo method. capite quinto: Quod n. prorsus non cognoscitur, aliquam sui indicationem præbere non potest, neque hæc potius qnam alia remedia postulare. Necesse igitur est, si morbo conueniens curatio adhibenda sit, eum prius à nobis optimè cognitum esse, neque vniuersali quadam & confusa tantum cognitione, sed vsque ad vltimas & indiuiduas differentias, in quibus (vt inquit Porphyr.) iubebat Plato quiescere vt etiã loco citato docet Gal. Nobis igitur febriũ cognitionẽ docere volentibus, necesse est explicare primo quid febris nomine intelligatur, deinde quid sit, & quæ eius essentia, & natura, postremò, quæ sint eius differentiæ, vsque ad infimas, & quæ in alias diuidi non possunt.

Primo igitur sciendum quid febris nomen significet, ne circa ignota nostra versetur oratio: deinde quæ sit febris natura & definitio, rursus quę sint febrium differentiæ: Postremò quæ sit cuiusque ipsarum proprietas, vt resolutione quadam, opportunas & proprias cuique remediorum indicationes afferamus. Nam cuilibet morborũ speciei & priuata est methodus vt Gal. 4. meth. primo, instrumentis autem iisdẽ vtemur, quibus esse philosophi, & medici definitione, demonstratione, diuisione, & resolutione prout propositę rei necessitas exegerit.

Quid febris nomen significet, & quæ sit febris definitio. Cap. II.

FEbris nomen à feruore deductum est, quod feruor quidam sit totius corporis naturales terminos excedens, qua etiam ratione Græcis πυρετὸς dicta est. ἀπὸ τȣ πυρὸς quod igneus quidam sit calor, (vt Gal. tertio de fract. commentario 8.) seu totius corporis caloris excessus & excandescentia, vt in lib. de causis morb. cap. secundo. Significat igitur febris nomen, igneum & præter naturam ac morbosum calorem per totum corpus diffusum, quæ si quis Græcæ dictionis vim Latina voce velit deducere, ignitionem dixerit, ob id Hipp. frequēter ingentem febrē, ignem nominauit, vt primo epid. commentario tertio secundo & quarto, ęgroto, vt notauit etiam Gal. primo acut. commentario 18. quòd scilicet ignitio quędam sit caloris innati: Ex hac nominis expositione eruitur febris essentia: constat, n. calorem morbosum seu igneum pręter naturam esse, quod. n. naturę aduersum est, id præter naturam est, febris igitur essentia omnium consensu in genere caloris est, præter naturam, vt Gal. 6. epid. commentario primo, commentario 29. & primo de differentiis febr. cap. primo. Sed hoc primum inquirendum est quid caloris nomine intelligi debeat, dum dicimus febrem esse in genere caloris præter naturam, an calida substantia: quę calore illo

affecta ſit,an caliditas ſola,& accidens,à ſubſtantia ſeiunctum.Hinc.n. Gal. definitio facilè patebit, vtrumqne autem caloris nomine ſignificari nonnunquam adfirmat, vt primo aphor. 14. & aduerſus Lycum. cap. ſexto & primo de temp. ca.ſeptimo,Grȩcis vero propriis nominibus melius exprimuntur, nam θερμασία & θερμότης caliditatem, θερμὸν calorem ſeu calidum ſignificat.At Gal.in huius nominis ſignificatione non ſatis ſibi conſtitiſſe videtur, nam primo de feb. differentiis cap. primo ait θερμότητα παρὰ φύσιν hoc eſt caliditatem præter naturam genus eſſe febris, at nemo caliditatem pro calido corpore intellexerit,vt inquit primo de temp. 7. Sed primo aph.14.& 16.& 6.epid. com. 4. com. 25.in princ.& 2.acut.22.in fine ait eſſe genus febrium, calidum, ſeu calorem præter naturam, vtrumque n. nomine θερμοῦ exprimit: quod tum ad qualitatem caloris, tum ad corpus calidum refertur eodem pacto de calore natural.interdum vocat caliditatem, vt primo aph.14.& 6. epid.commentario 5. ſæpius vocat calidum innatum.Anceps igitur videtur, nec ſatis ſibi conſentiens, hoc non paruam habet difficultatem. Verùm hæc nominum ſignificatio è ſtoicorum principiis emanaſſe videtur, qui qualitates elementorum exiſtimabant corpora, nullam actionem prodire poſſe putantes ab eo quod corporeum non eſſet, quam opinionem confutat Cicero primo.Acad. quæſt. & pluribus aliis in locis,&Seneca epiſtola 114. & Gal.primo meth.ſe-

cundo cap. & in libello qui inſcribitur. Quòd qualitates incorporeę ſint, ſi tamen Gal. tribui debeat. Sciendũ igitur eſt, Gal. per innatum calidum ſeu calorem, & caliditatem eamdem ſemper rem intellexiſſe, ſed iuxta varias conſiderationes modo à qualitate, modo à corpore calido denominaſſe. In nobis n. & cæteris animantibus, & omnibus etiam viuẽtibus ineſt corporea quædã ſubſtantia natura calida, aquea quidem, & aerea, calida autem vt in qua ignis ſuperat, quæ ad omnes actiones obeundas eſt præcipuum inſtrumentum, tantæ dignitatis, & efficaciæ, vt eam Hipp. iuxta Gal. ſententiam 6. epid. comment. 5, animum eſſe putauerit, & ipſemet Galenus in libro de vſu reſpira. capite quinto & 5. de ſimp. med. cap. 9. vel animam vel præcipuum animæ inſtrumentum eſſe dixerit, & in primo de rigore cap. 6. omnino animum vocauerit & naturam, & 5. aph. 22. & in lib. de tabe ca. 3. dixerit eſſe naturam. Hic calor ſicut ex tenuiori humidiori ac puriori ſanguinis ſubſtantia in nobis generatur, ita ab ea alitur vt conſtat in lib. de vſu reſp. cap. quinto & ſexto, de vſu part. cap. 17. hunc calorem quandóque appellat ingenitum, ſeu innatum ſpiritum, nam eadem eſt vtriuſque generatio, & nutritio, ob id in ſexto de ſimp. med. cap. 9. & ait calidum innatum idem eſſe cum ſpiritu ingenito, conſtat n. vtrumque ex eadem materia vapore ſ. ſanguinis purioris. Verùm ſpiritus nomen à ſpirando deductum aerem præterea immixtum huic vapori ſignificat qui

quidem inſpiratus per nares in cerebrum, per aſperam arteriam in pulmones & cor defertur, vt Hipp. in lib. de alimento in principio ex quibus coeuntibus generatur: ob id Gal. eo quem antè citaui, loco ait, calidum innatum cum ingenito ſpiritu idem eſſe, vel ſanguineam ſubſtantiam ſimulque aeream idem eſſe cum ſpiritu, & calido innato. Hæc enim nomina ſæpenumero apud Gal. confundũtur, caloris innati & ſpiritus: Nam quamuis ſpiritus nomen aerem ſignificet vapori ſanguinis purioris immixtum, tamen cum vaporoſa illa ſanguinis ſubſtantia aerea ſit, & caliditatem à ſanguine habeat, merito calor innatus vocatur, cui deinde aer inſpiratus in corde elaboratus commiſcetur, & ita calor ille innatus ſpiritus fit, qui nomẽ ab inſpiratione aſſumpſit, ſed à vaporoſo tamen illo ſanguine calorem obtinet: merito igitur fit vt à modo calor innatus, ſeu calidum innatum, vel ſpiritus ingenitus dicatur, & Gal. aliquando calorem innatum, primæ animæ inſtrumentum, vt in locis iam citatis, aliquando ipſum dicat: vt 7. de plac. ca. 3. & 3. de locis affect. cap. ſeptimo. Præterea quibus animalibus nulla ineſt reſpiratio, vt quibus pulmones non ſunt, his tamen calor ille innatus ineſt, quo operationes perficiuntur, ſiue is fiat à ſanguine, ſiue inexanguis ab alimento, quod ſanguinis vices ſupplet. Quin & in plãtis proprius eſt calor innatus qui ab alimento efficitur, & continuo vi ipſius generatur & nutritur.

Si igitur proprium temperamentum & actio-

nibus animæ obeundis accommodatum ſeruet hoc calidum, omnes operationes, in animali ſalubres eduntur, alimenta, & cætera omnia ſalubriter procedunt, & naturalis calor vel inſitus vel innatus dicitur. Si vero fines ſui temperamenti excedat, iam rationem induit caloris aduentitij, & extranei ſeu præter naturam, ſi refrigeſcat morbi frigidi cõtingunt, vt Gal. aduerſus Lycum cap. ſecundo. Si incaleſcat, morbi calidi, præſertim vero febres, & in eo tanquam in genere caloris, febris continetur, & hoc eſt quod dicit primo aph. decimo quarto, febrem eſſe calorem naturalem mutatum in igneũ & ſecundo de facult. nat. cap. 8. in febribus, naturalis caloris mediocritatem corrumpi, & ſecundo Meth. 7. & 8. eiuſdem cap. primo calorem ita auctum vt ex eo corpus laboret, febrem eſſe. Hanc quoque veram & indubitatam eſſe ſententiam Hipp. Galenus confirmat pluribus in locis, præſertim verò ſexto epid. commentario quinto vbi ait, calorem innatum, cui referri acceptum voluit omne opus Hipp. in humano corpore, ſi igneſcat non modo priora munera obire non poſſe, ſed neque nos alere, quod proprium eius eſt officium, ſed perdere, conſumere, colliquare, perinde ac ignis. Id autem inquit perſpicuum eſſe poteſt, colliquationes, quę in febribus exurentibus contingunt, cuilibet intuenti.

Quibus modis contingat calorem innatum immutari. Cap. III.



Alidum hoc, quod innatum vocamus, non ſolum febribus, ſed etiam ab aliis cauſis propriam mediocritatem amittit, & diuerſum à ſeipſo euadit: nam ætate, anni tempore, regione, ſtatu, & corporis temperamento. Hoc autem apertiſſimè docuit Gal. 3. de cauſ. pl. cap. 6. his verbis cum ait Hipp. Qui creſcunt, plurimum habent natiui calidi. non dixit calidi abſolute, ſed addidit, natiui, vtpote qui alterum calidum nouerit aduentitium, quo plurimo adulti iam abundant, & innatum quidem calidum bene temperatum eſt, aduentitium autem, intemperatum & quaſi igneum in eundem modum ait, ventres hieme & vere calidiſſimi ſunt natura, neque n. hi abſolutè calidiſſimi, ſed natiuo calore, ęſtate pauciſſimũ hunc habent, abundant verò aduentitio & ſquallido, à quo marceſcit potius quam nutritur corpus, & actiones non modo non meliores edit, ſed neque pares illis, quæ in moderato obeuntur. His etiam ſubdere oportet quæ primo aph. 14. dixit, conferens calorem puerorum, calori iuuenum. Vbi ait, cum igitur duæ ſubſtantiæ ſint, & hæc quidem ſuauem habeat caliditatem, hæc vero triſtem, alteram quidem primam habent pueri, alteram verò illi qui adulti ſunt, & paulo inferius ait, quæ aſcititius calor in iuuenibus augetur &

imminuitur genuinus. Ex quibus verbis facilè constat eundem calorem immutari & ſiccari, & ad igneam naturam accedere, quæ iam triſtis eſt, præter naturam hic calor, genus eſt, in quo febris continetur, quod apertiſſime declarat idem Galenus paulò inferius in eodem aph. vbi ait, febrem accendi ob conuerſionem caloris innati ad igneam naturam: Calor igitur præter naturam, in quo dicimus febrem, tanquam in generatione contineri, eſt innatus, quem iam deſcripſimus, vbi à proprio temperamento, & mediocritate recedat, & ſquallidus, ac igneus fieri incipiat. Huius plures ſunt gradus & ordines, vt in lib. aduerſus Lycum cap. 2. nam aliquando tantus non eſt receſſus ab innati caloris ſubſtantia, vt ſanitatis fines excedat, & hæc tranſmutatio fit ab ętate, anni tempore, ſtatu, regione, vt Gal. 3. de cauſ. pulſ. 6. Aliquando excedit ſanitatis limites, dum ab eo inſigniter operationes læduntur, & morbidum corpus euadit. Quandoque etiam tanta eſt eius tranſmutatio, vt non ſolum ſanitatis fines ſed etiam vitæ prætergrediatur: nec vllam operationem efficere poſſit, vnde mori neceſſe eſt.

Quomodo Galeni loca concilientur.
Cap. IIII.


Ed dicet aliquis, quare ergo Gal. tam varius videtur & à ſeipſo diſſentire? nam primo de diff. feb. ca. primo ait, febris ſubſtantiam & eius genus eſſe caliditatem præter

naturam, at caliditas de ſola qualitate dici poteſt, alibi verò, (vt iam citauimus) ſub calido aduentitio eam comprehendit, tanquam ſub proprio genere, quod non ſolam qualitatem, ſed ſubſtantiam calidam ſignificat. Vt hoc intelligatur, ſciendum omnem actionem quandoque in qualitatem, quandoque in ſubſtantiam agentem referri, ſiue ea ſit ſimplex ſiue mixta, cùm tamen interea à ſola ſubſtantia corporea vt talis eſt, nulla procedat actio, eo quod ſubſtantiæ vt corpus eſt, nulla facultas inſit operandi, ſed omnis actio procedat aut à forma, aut à proprio inſtrumento ipſius. A forma quidẽ iuxta eorum ſentẽtiam, qui exiſtimant temperaturam eſſe formam mixti corporis, quod de hominibus videtur ſenſiſſe Hipp. vt ei Gal. attribuit 3. aph. 2. & 1. de natura humana 15. & alibi frequenter: quod etiam in elementis contingit, iuxta Alexandri & eorum philoſophorum ſententiam qui opinantur ipſorum qualitates eſſe eorum formas. Quod ſi mixtis corporibus alia inſit forma quam temperatura, vt homini ineſt anima, tunc temperies illa erit animæ proximum inſtrumentum agendi, ſicut & formæ ignis calor, & cæterorum elementorum propria qualitas. Quamuis autem vna & eadem res ſit agens ſubſtantia cũ eo quod agit, variè tamen de ea auctores loquuntur, qui modò actionem in ſubſtantiam referunt, modò in formam agentem. Vt dum dicunt ignem calefacere, aut ignis calorem efficientem, ignis tamen (vt ait Ariſt. in lib. de ſenſu & ſenſ.) agit nõ vt ignis, ſed

vt calidus, neque tamen qualitates ipsæ per sese agere possunt: actiones. n. sunt suppositorum, hinc fit, vt cum eadem res sit substantia cum forma agente, Auctores modo substantiæ, modo formæ, à qua prodiit actio, referant acceptam operationem. Sic sæpenumero Arist. in lib. de gen. & inter. 4. Metheo. & de gen. animal. transmutationes quæ contingunt corporibus naturalibus refert in qualitates, aliquando in substantias corporum, sicut & aliquando caliditatem effectricem esse alicuius effectus, aliquando ignẽ: Eadem loquendi ratione vsus est Gal. qui actiones integras quæ in nobis fiunt, concoctiones, nutritiones, auctiones, refert in calidum innatũ, primo aph. decimo quinto & id naturam esse animalium Hipp. opinione ostendit, quod tamen substantiam esse confirmauerat testimonio eiusdem Hipp. aph. 14. & vt plurimos alios locos omittam, in quibus eodem loquendi modo Gal. vsus est, hunc solum adducam, ex lib. Quod animi mores, &c. cap. 3. vbi ait, temperamentum esse animæ essentiam, siue id qualitatem dicere malimus, siue primorum corporum & elementorum: indistinctè enim & indifferenter Gal. vsus est nomine qualitatum pro corporibus qualitate affectis. Vbi calidum igitur, quod innatum vocamus, & substantiam esse diximus, commutatur in igneam naturam, febris fit, neque tamen propterea febris morbus erit in numero, cum ea commutatio ad qualitates tantum pertineat, quarum ratione calida illa substantia

ab innato temperamento decessisse dicatur, non ad auctam magnitudinem aut numerum. Et idcirco meritò morbus in intẽperie est, vt 8. meth. 1. cùm formalis morbi ratio sit actiones lædere, quæ à temperie prodeunt caloris innati, non à substantia. Hinc facilè potest intelligi febris diffinitio a Gal. tradita, cum alioquin obscura sit: est enim conuersio, seu commutatio calidi, seu caloris innati, in igneam naturam: substantia enim est, quæ mutationi subiicitur, non qualitas. Hoc calidum ita conuersum præter naturam vocatur, seu extraneum, vt inquit Auic. idque esse genus febris diximus, ex Gal. sententia.

Quod sit genus proximum febris & quæ eius diffinitio. Cap. V.



Xistimandum interea non est calorem præter naturam omnem immediatum & proximũ esse genus febris, sed remotum: cum ea caloris innati conuersio vt diximus, maximam habeat latitudinem. Alia enim est ratio caloris aduentitij, qui iuuenibus ratione ætatis contingit, aut qui ætate contrahitur, alia eius, à quo morbosum fit corpus. Rursus calor morbidus nõ omnis febris est, sed est qui quanuis præter naturam sit, & operationes lædat, tamen febris non est, vt declarat Gal. 6. epid. com. 4. com. 25. Fit enim quandoque adeò calida, & sicca intemperies in-

uentriculo, vt actiones lædat, & præter naturam sit, tamẽ febris non est, & primo de diff. feb. cap. 3. ait febrem tunc tantum dici, cum calor ad cor peruenerit, quanuis ab eo reliquæ partes corporis corripiantur. Præterea nisi calor ille in omnes corporis pares diffundatur, vt in lib. de caus. morb. cap. 2, vel saltem in nobilissimis sit accensus febris, neque esse, neque dici potest: vt 6. epid. com. primo com. 29. & ex his duobus locis, Auicenna febris diffinitionem confecit: oportet autem primò cor affici: nam sicut naturalis temperaméti origo & caloris naturalis est cor, ita vitiata eius temperie & natura, erit scaturigo & causa caloris præter naturam qui in totũ corpus effunditur. Ex his igitur cõstat, quæ sit febris definitio, tum à Gal. tum ab Auicen. eadem fere est quæ ab Auer. traditur lib. 3. cap. 3. collectorũ, vbi ait fefebrem esse calorem compositum ex naturali, & extraneo. Nam temperies caloris innati, vt dictũ est, immutatur, non corrumpitur: degenerat enim calor genuinus à propria natura & insita mediocritate in febris excitatione: vnde qui prius naturalis erat, fit præter naturam, & genus est in febris descriptione, reliqua verò loco differentiæ ponuntur. Quod autem additur in definitione ea quæ ab Auic. traditur, quod scilicet nocet operationibus naturalibus, ab Auer. clarius explicatur, dum ait, & lædit omnes actiones, & passiones, nam cum calor innatus, si mediocritatem seruet, omnium naturalium, hoc est secundum naturam operationum est auctor, seu proximum

instrumentum, eo à proprio temperamento decedente, necesse est eas labefactari.

Quæ obiiciantur aduersus febris definitiones & quomodo obiecta diluantur.
Cap. VI.

HVic descriptioni multa obiiciuntur, primò quod febrium intermittẽtium principiis non competat, quæ tamen febrium pars sint, præterea iis, qui ex resolutione moriuntur, partes omnes ferè corporis frigent, cum tamen interim à febre moriantur. Quin etiam in febre Lyppiria & epialo, in omnes corporis partes calor non diffunditur, cum illa exteriora frigeant, internis partibus interea vehementi calore flagrantibus, in hac eisdẽ corporis partibus, vtraque qualitas sentiatur & frigoris & caloris. Hæc omnia ad soluendum facilia sunt ei, qui febris descriptionem adductã intellexerit.

Diximus enim ex Gal. 6. epid. com. primo com. 29. satis esse ad febris generationem, si calor à corde vel in omnes, vel in plurimas, vel in pręcipuas partes diffusus sit: cum autem principiis accessionum calor intro referatur, sanguine in viscera refugiente, vt tertio de præsag. ex puls. 7. necesse est partes præcipuas immodicè calefieri, & calorem nimium excipere à corde, & thorace, in quas partes sanguis eo tempore retrahitur, vt primo acut. 46. nec huic opinioni contrarius est

locus Gal.3.de præſag. ex pulſ.cap.7.vbi ait, Declarat frigiditas iam iamque iri accenſum febrẽ. Nam Gal.iis verbis oſtendit frigus illud indicare iam calorem effuſum iri in totum corpus, & ita febrem omnibus cognitum iri, non quod neget interea ęgrum febre laborare: nam rogo, ſi febre non ægrotet, cum conſtet morbo correptum, quis nam erit is morbus? non intemperies frigida, cum cor, caput, & viſcera (à quibus prodeunt, operationum imperia) calida intemperię conflictentur, neque frigus illud externum, operationes impediat. Fateor quidem ne me quis captioſus verborum ambiguitate irretiat, frigus nõ eſſe febrem quam nuper docui eſſe calorem immodicum, ſed dico, eum qui febre corripiatur, quo tempore in acceſſionum principiis rigore concutitur, febre laborare, vexante interea calore interna viſcera. Verùm hoc eſt notandum, quod vbi primũ humor à venis in partes ſentientes mittitur, ac refugit calor & ſanguis in viſcera, tunc quidẽ frigus incipit ſentiri, & decedente calore, & abhorrente natura partium ab humore effuſo: non verò poteſt dici febris, cum nondum calor putredinis ad cor peruenerit, eo quòd nondum putrere ceperit is humor: & tunc verba Galeni 3. de præſag. ex pulſ, cap. 7. ita ſunt exponenda vt ſonant. Sed id tempus breue eſt, & æger eſt in ſtatu neutro decidentiæ, at vbi putrere ceperit, delatis vaproribus ad cor, & effundi cæptis, licet extremæ partes frigeant, & febris eſt acceſſionis principium, vt in libr. de temper.

morb. cap.3. & ſic ſoluitur omnis contradictio, & locus Galeni tertio de præſag. cap. ſeptimo eſt exponēdus: vt dictum eſt. Verū, neque ad omnem rigorem febris ſequitur, ſed ſi rigoris materia putreat, vt ſecundo de febr. differen. capite quinto.

Eadem ratione cætera quoque obiecta diluuntur, vt quod in lippyria viſcera vrantur, exteriora frigeant, id ob inflammationem alicuius viſceris contigit, aut exurentem febrem: à cuius incēdio ſicut à cucurbitula totius corporis ſanguinis intro trahit, vt 7.aph.1.& 4. aph. 48. in epialo eadē pars & calorē & frigus præſentit. calorē quidem à febrilis incendij in totum corpus effuſi vehemētia, frigus verò, à copia vitreæ pituitæ, quæ in eadem parte continetur, tantæ frigiditatis, vt accendi etiā ab effuſa febris caliditate non poſſit, cum pars aliqua putreat, & ea ratione calorē inferat, pars nōdū ad putred. deducatur, & ea refrigeret, vt in loco de inæqual. intemp. ca.8. Iis autem qui febricitātes ex reſolutione moriūtur, tā pauca ſupereſt caloris ingeniti ſubſtātia, vt minimi nō ſit, minimā quoq; caloris qualitatem relinqui, cū vehiculo deſtituatur: quæ verò relicta eſt, ea ſanitatis & vitæ, fines exceſſit: quòd ſi ferè omninò reſoluatur calor, eos Gal in lib. de maraſmo capite quinto innuit apertè non febricitare, cum frigidum expirent, quod ſignum eſt cordis refrigerati: at eo perfricto, qui poteſt eſſe febris? idem tertio de præſag. ex pulſ. capite quarto eadem quoque eſt ratio cur ſenibus

mitiores febres contingere videantur, vt Hipp. 1. aph.14. cum exoluto paulatim innato calore frigidum corpus euaserit. Ideo dicebat Auer. 7. coll.cap.2.quod calor extraneus ramificatur à calore naturali, ita vt vbi minimum sit caloris innati, ibi quoque minimum esse præter naturam necesse sit. Et ex his soluuntur omnia argumenta quibus expositores Auic. legentium animos fatigant, nec est quod in his diutius immoremur.

Ex his etiam quæ dicta sunt, facilè soluitur dubitatio, an febris sit intemperies calida tantum, an calida & sicca. Quòd si calida & sicca, quare solius caloris fiat mentio in definitione: nam ex quo calor innatus à proprio temperamento incipit decedere acrior fit, acrimonia contrahitur inducta sensim siccitate innati caloris, qui natura humidus, aereus, aqueus, & vaporosus est: ex humido enim nostra est generatio, vt primo aph.14. aduentitii autem caloris substantia sicca, at febris cum in genere caloris aduentitij, seu præter naturam collocetur, fit non immeritò vt siccitatem etiam calori iunctam contineat. Insuper calor immodicè auctus continuò magis siccitatem auget, præsertim cum continuò à corde fluat, & caliditas mota magis exiccet, vt Cardanus animaduertit, sicut videmus aerem calidum, qui mouetur, exiccare, cum alioquin impressa caliditas non adeò exiccare soleat, nisi sit iuncta siccitati, nam nō omnis morbus calidus etiam siccus est. Quòd autem in febre sit caliditas iuncta siccitati, osten-

dit Gal. ex febris definitione quòd ea ſit caloris innati conuerſio in igneam naturam, & Hipp. ignem vocat primo epid. commentario 3. 2. & 4. exemplo: & primo de temper. cap. 3. Gal. eſt morbus calidus & ſiccus vt febris, frigidus & humidus, vt Hydrops. Præterea ex curandi ratione declaratur, quam frigidam & humidam eſſe oportet, vt primo aph. 16. victus humidus, tenuis & 9. met. 14. refrigerantia & humectantia conuenire, & primo acut. 18, Laudatur ptiſana eo nomine. At ſolius caloris fit mentio in definitione, quia calor magis infeſtus eſt, tùm quod magis excedat, tum quod magis agat. Quod ſi quando alias Galenus dicat, febrem eſſe calorem, vt lib. de diff. morb. cap. 5. & 8. meth. primo & alibi: denominat eam à qualitate excedente, & quę ſenſum magis afficit. Hinc etiam ſoluitur alia difficultas, an febris ſit calor, an temperatura, nã cum iungatur ſiccitati, neceſſe eſt, temperationem eſſe qualitatum, non ſolam qualitatem. Sed præterea febris eſt conuerſio innati calidi, & calor innatus temperatus eſt admixto frigore, vt in lib. de rig. cap. 6. 9. eſt temperamentum, nec ad tertiam ſpeciem qualitatis, ſed ad diſpoſitionem vel habitum refertur, quæ in prima ſpecie collocata ſunt.

Néque audiendus eſt Gentilis qui ſentit in febre duos eſſe calores, ſpecie diſtinctos, naturalé, & præter naturam, & hunc additum naturali eſſe febrem, nam calores non differunt niſi numero, cum vnica ſit tamen ſpecies caloris, ſicut & aliarum qualitatum, alioqui qua ratione plures

caloris ſpecies conſtituuntur, plures quoque & frigoris, & aliarum ſimiliter qualitatum primarum conſtitui neceſſe eſt, & ita octo primas qualitates. Neque calor extraneus opponitur calori, vt calor, ſed vt præter naturam. Calores quibus differunt tantum vt dicunt materialiter, & numero, ita vt ſi in idem ſubiectum conueniant, diuerſi vnum euadant qualitate: quod ſi calor ſubſtantiam calidam ſignificet, tunc differunt quandoque ſpecie, licet qualitas vna ſit, ſed Gentilis de qualitate intelligit. Ea igitur opinio reiiciienda eſt.

Vnde febrium differentiæ ſumantur. *Cap. VII.*



Vnc reliquum eſt, vt ad febr. diuiſionem deueniamus. Et 1. ea diuiſio explodenda eſt, qua diuiduntur in febrem morbum, & accidẽs. Neque enim febris verè vnquam eſt ſymptoma morbi, cùm ad aliquod ſymptomatis genus referri non poſſit, licet eam diſtinctionem videatur approbaſſe Gal. ſeptimo aph. 43. primo de diff. feb. vltimo, & primo ad Glauc. cap. 4. nam tunc ex aliorum potius quam ex propria ſentẽtia loquutus videtur, vt in lib. de diff. morb. cap. 7. perſpicuè quid ſentiat explanat: & ait febrem, quæ eryſipelati, Herpeti, Carbunculo, ſimilibuſque affectibus adiungitur, morbum eſſe, quod ex morbo contrahitur.

Ratio diuiſionis febrium ſumitur aut à febrium ipſarum ſubſtantia, aut ab accidentibus. Hanc quoque Hipp. obſeruaſſe videtur 6. epid. com.1. com, 29. vt adfirmat Gal. 1. de diff. feb. 1. febrium. Subſtantia eſt duplex, forma & materia: formam ipſius medici omnes igneam caliditatē aſſerunt: caloris differentiæ duobus modis ſumuntur, nam vel ex maioris minoríſue ratione, vel ex afficiendi modo, differentiæ quæ ex magnitudine & paruitate ſumuntur, conuenientius intenſione & remiſſione exprimuntur: vt quas febres magnas aut paruas vſurpamus, magis propriè intenſas remiſſas nominemus. Quæ verò ex ratione motus caloris, afficiendi celeritate, vel tarditate colliguntur: nam vel ſtatim admota manus caloris acrimoniā percipit, vel principio quidem parum acrem, mox vbi diutius manum cōtinuerit, acriorem ſentit. Celer igitur vel tardus eſt caloris motus, quē celerē Hipp. acutū ibi vocat: & hi ſunt diuiſionis feb. modi, qui ab ipſarum forma ſumuntur. Altera diſtinctionis ratio, à materia elicitur, in qua primum calor febrilis excitatur. Ea verò triplex eſt, ſicut & ſubſtantia, ex qua corpus noſtrum conſtituitur, ſcilicet, ſpiritus, humores, & partes ſolidæ: In his partes omnes continentur. Hæc ab Hipp. continentia, contenta & impetum facientia vocant, 7. epid. ſect. 7. ex quibus tria feb. genera efficiuntur, ephemeræ, humorales, & hecticæ. Nā ſicut horū corporum diuerſa eſt ſubſtātiæ ratio, ita quoq; caloris qui in eis accenditur, diuerſa eſt natura.

Has febrium differentias, quæ ex materia ſumuntur, licet Hipp. eiſdem, quibus nos verbis nō expreſſerit, ephemeras, putridas, & hecticas appellans, aut in ſpiritibus, humoribus, & ſolidis partibus accenſas dicens: tamen eas perſpicuis ſignis indicauit, quibus diſcernendæ ſunt, eodē 6. epid. com. primo com. 29. diuidit enim in mites & mordaces, per mites innuens ephemeras, quæ in ſpiritibus accenduntur, & quæ ſi ad cęteras partes comparentur, mitiſſimæ ſunt: per mordaces, tum putridas, tum hecticas: eas autem inter ſe diſtinguit, quod in putridis acrimonia appoſita manu ſtatim percipitur: in hecticis verò paulatim, & quaſi è profundo erumpere videtur. His tribus generibus omnes feb. differētiæ cōtinētur Verū Hipp. adducit alias quaſdam quæ ab effectibus & variis accidētibus ſumuntur, vt quòd quædam rubicundæ, quædam ſalſuginoſæ, quædam paluſtres, & ſimilia: quę quoniam innumeræ ſunt, nec certa ratione conſtituuntur, idcirco neque de his nobis quicquam agendum eſt, cum ſatis ſit eorum tantum meminiſſe, quorum certa & indubitata cognitio haberi poteſt, ea verò ſunt quæ ex rei ſubſtantia deducuntur. Verùm inter has differentias hæ præcipuæ ſunt, quæ eruuntur ex ſubiecto, cui primum calor inſidet, vt primo de diff. feb. primo: tum quia calor accidens ſit, & accidentium nulla pręterea materia ſit, quam ea, cui inhærent, quam vocant materiam in qua. Tum etiam, quod ex diuerſa materiæ ſubſtractæ ratione diuerſa caloris ratio accenditur, ſicut in

externis corporibus fieri videmus, neque audiendi ſunt recentiorum quidam, qui exiſtimant idcirco has differentias præcipuas dici, quod ad curationem relatæ differentem curãdi rationem indicant, ſed idcirco potius curatione diuerſam indicare putandum eſt, quod cum natura inter ſe diuerſæ ſint, differentes quoque pariant indicationes à quibus curatiua methodus conſtituitur: ſcientia enim à rebus, non res à ſcientia dependent, (vt philoſophorum ſententia eſt).

Quæ nam ſint febrium propriæ differentiæ, & quod nulla febris accendi poſſit, niſi cor primum afficiatur.
Cap. VIII.


VErum vt magis perſpicua vobis hæc tractatio ſit, ſciendum ex triplici ſubſtantia corpus noſtrum eſſe compactum, ſolidorum corporum, carnis, neruorum, oſſium, copularum, cordis, venarum, arteriarum, deinde humorum, quos proxima elemẽta partium corporis Hipp. appellat, ex quibus generantur & aluntur, & ſpirituum, qui à corde originem ducẽtes ab eo per arterias in vniuerſum corpus impelluntur, & ſingulis partibus calorem ſuppeditant, in quo vita continetur. Nam vt inquit Ariſt. in lib. de morte & vita cap. penul. generatio animæ eſt prima participatio ipſius à calore naturali, & vita eſt eius permanſio, ſicut igitur cor eſt fons & origo caloris innati, ita eſt pri-

mum principium, & ſcaturigo vitæ, cui omnis viuens particula vitam refert acceptam. Hinc fit vt cum à corde natiuus calor originem ducat, corrumpi aut vitiari in toto corpore non poſſit, niſi prius cor malè afficiatur. Cum itaque in febribus naturalis calor vniuerſus in igneum & præter naturalem vertatur, corde prius affecto id contingat neceſſe eſt. Neque tamen propterea ſemper cordis ſubſtantiam affectam eſſe oportet. Sed quæ in corde affici poſſunt, tria ſunt, cordis ipſius ſubſtantia, humores, qui ipſo continentur, & ſpiritus qui in ipſo tanquam in proprio foro generantur. Ex his omnes febrium primæ differentiæ ſumunt originem, & propria ipſarum genera conſtituuntur: nam ſubſtantia cordis accenſa, cum ad eam ſolidas corporis partes accendi neceſſe ſit, quæ quidem habitum corporis conſtituunt.
Hectica ſeu habitualis accenditur humoribus cordis accenſis: putrida, cum talis fuligo ad cor euecta, humores ipſius primo deinde in reliquas partes diſtributa omnes concalefecerit: ſpiritibus autem pari ratione ephemera. Ad hæc tria genera omnes febrium ſpecies referuntur. Verùm ita exiſtimari oportet, vt cum aliquam harum partium calor accenderit, is quoque in cæteras diffundatur: neque enim poteſt in ſola ſubſtantia qua conceptus fuerit, coerceri, vt ſi humores excalefacti ſint, hunc eundem calorem & ſolidis partibus & ſpiritibus communicari oporteat: eodem pacto, ſi aut ſolidæ

partes aut ſpiritus fuerint accenſi, reliquas quoque accendi par ſit. Non enim parum intereſt, vt Galen. primo de differen. febr. primo accendi & accenſum eſſe, ſeu excalefieri, & excalefactum eſſe: cum in quolibet genere febris, vnam partium neceſſe ſit eſſe accenſam, à qua febris denominetur, & ab ea reliquas accendi: Hoc eſt quod paſſim dicitur, harum partium aliquam poni in calefacto eſſe, & ab ea reliquas in calefieri. Verùm id animaduertendum eſt morbi rationem ad eum tantum calorem referri, qui primo ſuccenſus eſt, à quo cætera calorem contrahunt: illi verò, qui à cæteris partibus concipitur, neque febris neque omninò morbi rationem aut nomen poſſe conuenire: vt declarat Galen. primo de diff. feb. primo & in lib. de diff. ſymp. capite primo, & primo de lo. aff. cap. 3. hunc πάθος, ſeu paſſionem, alterum διάθεσιν affectum, ſeu morbum aut diſpoſitionem appellant. Hoc inter vtrumque intereſt, quòd morbus ſeu διάθεσις affectio eſt aliquanto tempore etiam ſublata cauſa permanſura: πάθος verò in motu & tranſmutatione eſſentiam ſuam poſſidet, & vt dicunt in fieri, cum à cauſa dependeat, & ea amota ſponte deſinat, Cum igitur triplex ſit ſubſtantia, corpus noſtrum conſtituens, à quacunque primùm calor cõceptus fuerit, ita vt cordis vel ſubſtantiam vel humores, vel ſpiritus concalefecerit, vnde in cæteras partes effundatur, febris dicetur, qui verò à reliquis duobus ſubſtantiæ generibus contrahitur, non-

dum febris, ſed paſſio. Vbi verò iam non ab alia cauſa dependet, ſed aut longa, aut vehementi caloris actione permanentiam quandam adepta eſt: ex paſſione affectio ſeu morbus fit, & dicitur quatenus ſtabilitatem obtinet. Prompriſſimè verò ſuccenduntur ſpiritus, deinde humores, poſtremò partes ſolidæ: omnis enim ſubſtantia tenuis quàm craſſa facilius alteratur. Ex his ſequitur quod febris, quæ ex humoribus putridis fit, duas habet partes, Vnam quæ facta eſt, Alteram quæ fit, & à cauſa dependet, duaſque medicinæ partes exerceat, curatricẽ, & προφυλακτικὴν ſeu præſeruatiuam, hæc cauſæ & naſcenti morbo, illa iam facto debetur. Vt vndecimo Meth. ſecundo, & primo κατὰ γένη cap. ſecundo. Verùm ſciendum eſt putridam febrem, & ephemeram, ea ratione morbos dici, qua ſolidæ corporis partes ab eis calorem vitiatum concipiunt, quæ etiã ægrotare dicuntur, eo quod à febrili calore earum actiones lædantur: ſpiritus autem, aut humores, morbo numquam afficiantur, eo quod earum tantum partium ſit morbus, quarum eſt actio, cum morbus ſit immediata cauſa læſarum actionnm. Solæ igitur partes ſolidæ erũt morbi, & febris ſubiectum, ſicut & ſanitatis, vt primo de vſu part. 9. & 3. de ſymp. cauſ. 3. colligitur: Quòd ſi quis argumẽtetur fore vt febris putrida, & ephemera nunquam ſint morbi, cum in eis calor præter naturam ab humoribus aut ſpiritibus in partes ſolidas emittatur, vbi nondum conceptus ſit, neque prorſus calefactæ ſint ſolidæ par-

tes, & idcircò passionem, non morbum dici debere. Huic ita respondendum, febrem, comparari posse ad id quod primum subiectum est externi caloris, vt humores in putrida, spiritus in ephemera, partes solidas in hectica. Et hac ratione omnis febris est facta, & morbus, & independēs, & intemperies æqualis. Et ita intelligit Galenus in lib. de diff. feb. & in lib. de crisibus & primo ad Glauc. vbi de febribus putridis & ephemeris loquitur, vt morbis. Quòd si cōparetur ad id quod propriè ægrotare dicitur, & cuius operationes læduntur, & verè est subiectum morbi & sanitatis, cum sanitas & morbus non fiant in vita carentibus (vt Arist. principio libri de sensu, & sensili,) & quod propriè viuit, sint partes tantum solidæ & habitus corporis, qui ex solidis partibus constituitur, tunc dicimus solam hecticam esse verè morbum factum, & verè æqualem intemperiem, in qua nulla caloris alteratio percipitur, reliquas verò adhuc fieri & esse intemperiem inæqualem, in quibus alteratio sentiatur, vt in libro de inæqual. intemper. cap. 5. & 8. meth. primo.

Quòd si quis obiiciat, hinc sequi, quod calor in spiritibus, aut humoribus sit immediata causa, & coniuncta febris, cum hæ partes non sint subiectum febris, sed earum calefactum esse sit causa, quod membra ægrotent propterea quod in huiusmodi febribus, membra sint tantum in calefieri, spiritus aut humores in calefacto esse, & ita morbum dici eum qui est in fieri, quod est

contra Galeni sententiam primo de diff. feb. primo & Auicen. in difinitione feb. Dicendum quod in febre ephemera & putrida partes solidæ ægrotant, per consensum spirituum aut humorum, vt primo de lo. secundo, & tertio de lo. tertio: eo quòd in ephemera aut putrida, læduntur actiones membrorum, at non ab affectu aliquo proprio, sed ab affectu impresso in spiritibus aut humoribus: & eatenus lædit, quatenus fouetur à calore iam facto. Quod si tamdiu transmutatio perduret, & calor iam immanens à nulla causa dependeat, priori febrium generi alterum accedet, & aut ephemerę aut putridę succedet hectica. Si verò referantur febres ad proprias causas, feb. quarũ ratione præseruationem requirũt, tunc putrida cum semper causam habeat, curationem & præseruationem postulat. Curationem, ratione contracti caloris, præseruationem, ratione causæ. Reliquis duobus generibus sola curatio debetur. Cùm nulla eis sit causa fouens, vt vndecimo meth. secundo, hecticarum, & ephemerarum propria est curatio inquit. Has feb. diff. explicat Auicenna similitudine balnei. Galenus autem lebetis, in quo aqua feruens contineatur, quę quòd facilè possint à vobis intelligi, consulto pręter mittuntur.

Quæ

Quæ ſint febrium vniuerſales cauſæ. *Cap. IX.*

FEbris, tot modis in nobis accenditur, quot à cauſis procatarcticis calor poteſt excitari. Id autem contingit quinque modis, vt primo de diff. feb. cap. tertio & in lib. de cauſ. morb. cap. 2. nam propter motum velocem aut vehementem (id enim perſpicuum eſt) aut putrefactionem, aqua etiam interdum ignis ſuccenditur: aut conſuetudinẽ calidioris corporis, vt ignis ſolis, & ſimilium: aut ſuppreſſionem calidi effluuij, vt ſi cutis adſtricta ſit, ita vt quæ per ipſius poros egeri couſueuerunt, cohibeantur: quod etiam hipocauſtorum exemplo declaratur. Aut per mixtionem calidæ ſubſtantiæ, vt ob generoſioris vini immodicam potationem, aut ciborum, aut medicamentorum calidorum aſſumptionem: ex quibus calida ſubſtantia confunditur, & caliditatem auget. Tot autem ſunt modi in quos febrium cauſas oportet reuocare. Verùm non quãtuſuis calor febrem poteſt inducere. Sed ſi is ſit, qui ad cor vſque perueniat. Neque id ſolum, ſed talis vt cordis aliquid concalefecerit, & poſuerit in calefacto eſſe. Nam tunc in reliquas quoque partes calor diſtribuitur. Id autem hoc iudicio cognoſcitur, quod amota cauſa externa calefaciente, febrilis calor immaneat & aliquãto tempore perduret, vt ſi quis aut à mora in ſole: aut

ab ira, aut tristitia, calore accensus sit, & postquã à sole recesserit, aut sedata sit ira, & tristitia, calor perseueret: Hunc febricitare ab illis causis dicemus. Signum enim est, calorem esse prouectum, vt cordis spiritus concalefecerit, & ab illis reliquos, & quòd spiritibus reliquæ partes calefiunt.

De variis calorum differentiis quod in corpore existunt. Et quomodo differant calor insitus & influens. Cap. X.

SVperest nunc vt de febribus ephemeris breuiter agamus: verũ prius aliquid explicandum est, quod ad totius tractationis, huius declarationem non paruum afferet momentum. Diximus febrem diuidi secundum materiam, cui primum calor inhæret, in Hephemeram putridam, & hecticam. Et hanc diuisionem non esse per accidens, aut accidentis in sua substantia, sed à substantia rei deductam, & pro se & vt inquit Gal. 1. de diff. febr. 1. maximè propriam. Id autem sic perspicuum fiet. Dictum est ex Gal. febrem esse conuersionem caloris innati in igneam naturam, & calorem nobis non solam qualitatem, sed corpus calidum significare. Febris autem genus esse, calorem præter naturam: qui quidem ex calore naturali à proprio temperamento decedente fiat. Ex quibus necessariò sequitur, calorem illum præter naturam,

corpus etiam ſignificare, non ſolam qualitatem. Si igitur triplex ſit caloris innati differentia, quarum vna quæque ab altera re & ſpecie diſtincta ſit: triplex quoque erit & caloris præter naturam. Nam quot modis dicitur vnum oppoſitorum, tot modis & alterum. At calorem innatum in tot differentias diſtribui conſtabit, his tum rationibus tum auctoritatibus.

Et primum id omnibus compertum eſt, partes omnes ſimilares proprium & inſitum habere calorem. Hoc enim non ſolis animalibus, perfectis ſed etiã mixtis cõmune eſt: qui calor præcipuus eſt opifex generationis earum, cũ 4. meth. cap. 2. omnis generatio intercedente coctione perficiatur: & eo genitum conſeruetur. At calidum, id cum mixti pars ſit, ſimplex elementum eſſe non poteſt. Neque enim ſimplicia elementa in mixtis reperiuntur: ſed in quibuſdam magis ignis & aer, in aliis magis aqua, aut terra denominatur, prout huius, aut illius elementi maior eſt communio, à quo etiam ſumunt denominationẽ. Verùm is calor in animalibus eiuſdem in omnibus partibus naturæ non eſt, ſed varius, pro varia cuiuſque partis natura, & compoſitione. Qui enim in oſſe continetur, diuerſus eſt ab eo qui in carne prout varia eſt horum corporum compoſitio, & temperatura. Hic non ſolum partium ſimilarium proprius eſt, ſed etiam humorum cuilibet, à quo etiam generantur, & quo corrupto, putreſcunt. Huius caloris meminit Auer. 4. Coll. cap. 2. & 5. cap decimo octauo.

Eſt alter calor qui animalibus perfectis proprius eſt, à quo fit, vt actu calida ſint, nã ex mixtis omnibus hoc illis ſolum tributum eſt: cum cætera mixta, quamuis plurimo calore participẽt, actu tamen calida non ſint, vt Auer. 4.coll. c.2. Id autem ea ratione contingit, quoniam ſicut à calore naturali corpora generantur & conſeruantur: ita per eum operationes ſuas exercent. At quò vnum quodque nobilius & perfectius eſt: eò perfectiores & plures edit operationes, cum operationum gratia conſtitutum ſit, & eò maiore caloris copia indigeat, cum omnes operationes caloris inſtrumento exerceantur. Nullum autem eſt mixtum quod nobiliores & plures edat operationes perfecto animali. Neque igitur vllum eſt mixtum, cui maiore caloris copia opus ſit: cetera enim tantũ caloris habent quantum quodquod in mixtione adeptum eſt, qui nuſquam actu eſt, aut poteſt actu calefacere: animalibus verò perfectis proprius ineſt calor: à quo fit, vt qui partibus ſimilaribus natura inſitus eſt, in actum deducatur, & proprias pro cuiuſque partis natura: cuius eſt, operationes exerceat. Hoc eſt animæ veluti ſedes & proximum inſtrumentum, ſine quo vita aut anima non conſiſtit. Huius generatio eſt prima participatio animæ: & vita eſt eius permanſio: vt dicebat Ariſt. in lib. de morte & vita, cap. penul. Neque enim is vel minimo tempore intercipi poteſt, vita durãte. Imò ſi in aliquam partem calor ille permeare non poſſit, ea paulò poſt ſideratur, & corrumpitur.

Hunc Auer. 4. coll. cap.2. ait esse formam caloris,qui primo partibus insitus est, materię habet rationem . Hoc etiam visus satis apertè docuisse Gal.in lib.de fœtuum form.cap.3.hunc calorem influentem esse naturam asserit.Idem Gal. in lib.de Tabe ca.3.& 5.aph. 22. continetur auté in sanguine &spiritu,vt 8.de plac.cap.7.& 2.aph. primo. Et ob eã causam 5. de simp. med.eum innatum spiritum vocat cap.9. Huius præcipua sedes, & fons est cor , præsertim iuxta decreta Arist.cui etiam consentit Gal. 6. de vsu par. 7. 5. de lo.aff.primo & 6.epid.com. 4.com. 24. Verũ aliquando asserit iecur etiam vna adiuuare , vt quod sanguinis sit principium: naturam 6. epid. com.4.com.25.ait, vtrumque viscus statim à primò ortu plurimum ingenitum calorem habere, carnes verò nullum.Sed acquisititium ex sanguine. Verùm neque putandum est ob id sanguiné & spiritum idem esse. Sanguis enim rationem habet materiæ: spiritus verò rationem efficientis.Nunquam autem fieri potest,vt idem sit materia & efficiés: Sed eatenus tantũ calor naturalis est ĩn sanguine, quatenus est propria & proxima materiæ ipsius,vt asseruit etiam Auer.5.coll.ca.3. circa medium.Idem sensisse videtur Gal.in lib.de vsu resp.cap.3. vbi comparat cor funiculo lucernæ,oleum sanguini : & flammam calori naturali. Est igitur sanguis materia caloris naturalis, hoc est, spiritus, quem idem esse cum calore naturali declarauimus: ex Galeno quinto de simp. med. cap.9. Quod etiam affirmare apertè videtur 5.de

plac. capite tertio, & primo aph. 14. & aduerſus Lycum capite ſexto & ſexto epid. com. 3. com. decimo octauo: vbi ait calorem naturalem ortum ſuum habere in corde quod eſt ſubſtantia vitalis cultatis.

Verùm ſciendum eſt, hunc ſpiritum qui calor eſt naturalis, diuerſas rationes ſuſcipere pro ratione membrorum quibus impertitus eſt. Ab illis enim propriam quandam temperamenti rationem accipit, à quo fit eiuſdem partis proprius & innatus calor, & operationibus exercendis cõueniens inſtrumentum. Sicut enim ſanguis qui communis eſt materia alimẽti omnium partium corporis, variis modis à quauis parte nutrienda immutatur, vt ei conueniens ſit alimentum: ita ſpiritus qui communis eſt calor naturalis, à propria cuiuſque partis actione efficitur proprius calor eius partis, à qua mutationem accepit.
Ex quo, tanquam forma, & ingenito tanquam materia, fit vnus calor, qui abſolutus eſt calor innatus cuiuſque partis, & proximum animæ inſtrumentum omnibus actionibus obeundis. Hoc declarant verba Gal. 5. de ſimp. medic. cap. 9. Vbi cũ dixiſſet, calorem innatum, in ſanguine & ſpiritu contineri: ait, Iam demonſtrauimus ſpiritum innatum, etſi non ſit animi eſſentia, tamen eius eſſe primum inſtrumentum & lib. de plac. Hipp. & Plat. octauo ſcilicet, cap. 7. & 7. eiuſdem cap. tertio. Et ſanè dicimus eum ſpiritũ in omnibus animantis particulis contineri. Sed non eſſe vndequaque ſui ſimilem, ſicut nec ſanguinem eſſe

necesse est. Tum in spatiis inanibus, non paruam inesse substantiam, sed potius veluti materiam quandam leuiculam etiamnum mutationem exposcentem ad innati spiritus suis qualitatibus absoluti generationem. Idem apertè innuere videtur quinto de Plac. cap.3. vbi ait, spiritus ex corporibus, quibus insiti sunt, vaporem quendam contrahere.

Sunt igitur tres caloris differentiæ, spiritus, sanguis, & calor ille, qui partibus proprius est: siue ipsis primo insitus, siue ex insito, & influente constet. Et horum quilibet calor innatus dicitur.

Totidem etiam sunt partium genera quæ corporis nostri substantiam constituunt, spiritus, sanguis, siue humores, & partes solidæ. Sicut igitur hæ substantiæ inter se natura differunt, ita earum calores re & substantia. Vbi verò horum aliquis à proprio temperamento ad igneam naturã transmutatur, febris accenditur, quæ caloris vitiati substantia & natura ab aliis diuersa est, & diuersam sumit denominationem. Nam si spiritus ignescit ephemeram, si sanguis, aut aliquis in ipso humor, aut eius aliqua pars, humoralis, seu putrida: eóque humores transmutato calore, facilè putrescunt. Si ingenitus partium calor, hectica.

Diuisio autem hæc non est per accidens, aut accidentis in substantia. Sed per se, genera in species, à qua etiã reliquæ feb. distinctiones pẽ-

dent quæ ex magnitudine vel motu caloris soluuntur.

Fit autem febris quælibet prius affecto corde, ita vt, nisi id prius afficiatur, accendi non possit: vt Gal. primo de diff. feb. primo & tertio & secundo de fract. com. 28. cuius rei causa est, quòd vt inquit eodem secundo com. de fract. cor est fons caloris naturalis. At cum febris sit calor naturalis in igneum conuersus, & conuersio fiat ob immutatum temperamentum à propria mediocritate, vt secundo de facul, naturalibus octauo: idẽ cor, quod dum benè valet, est fons caloris naturalis, malè affectum, fiet fons caloris febrilis.

Præterea vbi plures & diuersæ partes simul in eodem corpore malè afficiũtur, necesse est quoddam principium commune prius malè affectum esse, à cuius affectu cæteræ partes malè afficiãtur: At cum in feb. vel omnes, vel præcipuè affectæ sint, necesse est corde prius affecto febrem accendi, cum nulla sit pars, cui reliqua omnia magis consentiant.

Opponunt aliqui idem contingere posse affecto hepate, calore distributo per uenas: sicut à corde per arterias diffunditur.

Verùm id ea ratione falsum esse arguitur, quòd maxima sit inter vtrunque viscus cõmunio, præsertim per uenam cauam, & arteriam magnam, vt hepar tantum calorem concipere non possit, nisi cor alias calidissimum natura, prius accendatur.

Opponunt rursus aliqui alia, quæ quoniam

futilia ſunt, idcirco conſultò prætermittuntur, vt vtiliora perſequamur.

Quæ ſunt cauſæ febrium ephemerarum. *Cap. XI.*

Febris ephemera ea dicitur, quæ diei vnius ſpatio abſoluitur: quod noctem etiam complectatur, & terminum 24. horarum expleat, vt ſecundo de criſ. cap. ſecundo, & decimo, Meth. ſecundo, ita vocatur ab vnius diei ſpatio, Latinis idcirco diaria appellatur.

Febrium ephemerarum multiplices ſunt cauſæ: ſecundum quas diſtinguntur: ſecus enim quàm putridæ, & hecticæ in proprias differentias deſcendunt: hecticæ penes ſolidarum partiũ humiditates, quæ caloris longa aut vehementi actione conſumuntur: putridę iuxta humorum differentias in quibus calor excitatus febrem accendit, ab vna & eadem cauſa, putredine ſcilicet. At in ephemeris pro cauſarum tantum diuerſitate diuerſæ febrium ſpecies generantur: cùm eadem ſemper ſit materia quæ accenditur.

Neceſſe eſt igitur harum cauſas inueſtigare. Verùm perdifficile eſt omnes aſſequi, cum tot ſint, quot ea à quibus ſpiritus poſſunt accendi, quæ cùm ferè innumera ſint, in pauca capita redigenda ſunt: vt & magis perſpicua ſit tractatio, & faciliùs memoria retineri poſſit.

Diximus ex Galeni ſententia in lib. de cauſis

morb.cap.2. & de diff. feb.cap.3. à quinque causarum generibus calorem excitari, ab eisdem quoque omnibus præterquam à putredine feb. ephemera accenditur. Verùm cum obscura sit hæc causarum distinctio, eo quòd membra latius pateant, nec in singulas species possint contrahi. Idcirco altera afferēda est quam Serapio adduxit, sexto breuiarij cap.primo. Ea verò est huiusmodi: Ephemerarum febrium causæ omnes in quatuor genera rediguntur, ea quæ exterius corpori occurrunt, quæ corpus ingrediuntur, quæ passionem inferunt animo, aut corpori, aut vtrique: & syptomata præter naturam. Huius diuisionis partes singulę exemplis melius explicantur. Quæ corpori occurrunt, sunt veluti aer sua qualitate infectus, immodicè calefaciens, vel refrigerans, vel exsiccans, balneum aluminosum, à quo cutis constipatio & febris. Quæ in corpus subeunt, sunt cibi, potus, & medicamenta: quæ si calidiora sint, aut plus iusto ingerantur, calorem augent, & spiritus accendunt. Quæ passionem inferunt, sunt motus aut naturales, aut animales: Naturales sunt, quæ ad naturalem seu nutritiuam animæ facultatem pertinent, vt fames, sitis: Animales, quæ ad animalem potentiam referantur. Horum aliqui sunt corporis, à quibus lassitudo contingit, quæ plerumque febrem accendit: alij animi, vt ira mæstitia, timor, gaudium, alij animi & corporis, vt somnus & vigilia. Symptomatum verò præter naturam frequentissimum est dolor. Ab his omni-

bus non rarò febres ſolent excitari. Omnes igitur febrium ephemerarum cauſę ad hęc quatuor genera referuntur.

De ſignis febrium ephemerarum. Cap. XII.



Xplicatis cauſis ſigna adducenda ſunt, quibus à cæteris febrium generibus diſtinguntur. Ea verò aut à ſymptomatibus, aut ab iis quæ ad ſubſtantiam pertinent, aut ab ipſis cauſis efficientibus ſumuntur: Quæ ſubſtãtiæ inhærent, ſi ſignorum ſubeant rationem, accidentium formam accipiunt. Et idcirco ſignificant, quod ſenſibus maximè perſpicua ſint: cauſæ ſi ſignis adnumerentur, cauſarum rationem non habent. Symptomata verò ſeu accidentia quò rei magis propria ſunt eò certiora ſunt ſigna. Horũ aliqua propria ſunt ſoli, licet non omni, aut omni: & ſi non ſoli: aut omni, & ſoli: quod genus maximè proprium & pathognomonicum eſt, & certiſſimam cognitionem parit.

Primùm igitur ſignum ephemerarum eſt, quod à cauſa procatarctica fiant, hoc autem omnibus cõmune eſt. Verùm non ſolis, cum hectica quæque ab eadem cauſa contingat. Quod ſi putrida quãdóque à tali cauſa excitatur, occaſionem potius habet ab humoribus, qui aut vitioſi, aut immodici præfuerint in corpore, ad quos potius cauſa referenda eſt.

Opponunt nostri, duas ephemerarum differentias ab huiusmodi causa nō fieri, quę ex bubone, & quæ quandóque ex obstructione cōtingunt, quæ synochi vocantur: quarum vtrāque dicunt à causa antecedente generari: Soluunt, has mediam quandam naturam sapere inter ephemeras, & putridas.

Sed hæc solutio aliena videtur à sententia Galeni & Auic. cum harum febrium propria natura pendeat, tū ab ex calefacta substantia, tùm à caloris qualitate: cætera accessoria sint. At excalefacta substantia vapor est: calor est mitis, nec vllam putredinem indicat. Verū igitur ephemera vtràque censenda est. Propterea Gal. quinto meth. primo ait, Synochos licet ephemerarum spatium excedant, & idcirco tertiam quandam esse formulam, diarias tamen esse natura: continentes autem. Hoc est Synochos dici, ne proprio vocabulo res destituantur. Synochus igitur ephememera dicenda est, quod vt melius intelligatur, vtriusque generationis modus est explicandus. Prius autem de Synochis dicendum.

Fiunt vbi ex densatione corporum exiguorum meatuum conniuentia subsequitur. Aut vbi exiles cutis meatus obstruunt: densatio ex frigore, siccitate, balneis, & medicamentis eius facultatis incidit quæ vel contactu refrigerent, vel facultate constipent, obstructio, ob lentos, aut crassos, aut copiosos humores contingit. Vnde humida seu fuliginosa excrementa intra corpus retinentur, à quibus febris accenditur: vt nono meth. 1. &

3.de diff.feb.3.Si igitur ex pororũ conniuentia,&
corporum denſatione, febris excitetur: ea poſt
primam vnius diei acceſſionem deſinere, nec vl-
terius produci ſolet. Quæ verò ex obſtructione
creatur, ſi puſilla ſit, diei vnius ſpatio, vt cæteræ,
ſi quis eas diligenter curet, exoluitur. Quod ſi
in ſignis, &ab impactis humoribus, qui valentius
aliquod remedium deſiderant, ea vltra diem vnũ
porrigi neceſſe eſt: & eo nomine diariarum feb.
genus egreſſa videtur. Interea tamen neque in-
ter putridas aut hecticas numerari. Verùm cùm
rei potius quàm nominis ratio ſpectanda ſit, dia-
riæ potius (vt Gal. placet, vocentur, ab eo ſump-
to nomine, quòd frequentius incidere ſolet: vni-
ca tamen acceſſione terminantur: quæ in multos
dies producitur, quòd in ea vehementi ſtipatio-
ne humores accendantur, & feruentium humo-
rum tranſpiratio cohibeatur. Hæ febres Synochi
à Græcis: hoc eſt continẽtes dicuntur, nouo quo-
dam impoſito rei vocabulo.

Huius tres ſunt differentiæ, quæ ex ratione ſup-
preſſi effluuii petuntur: neque enim id omninò
poteſt cohiberi, cum cutis humana tantam ad-
ſtrictionem non admittat: cum à feruentibus hu-
moribus plurimus attollatur, qui quidem ea quę
proxima ſunt excalefaciat, ſi par ſit, quod accen-
ditur, ei quod tranſpirat, neque minui neque
augeri febrilem calorem neceſſe eſt: vocatur hæc
ὁμότονος Græcis, æqualis Latinis. Si verò maior
ſit vaporum tranſpirantium quantitas, minui
cõtinuò, vocatúrque παρακμαστική: Latinis de-

crescens. Si minor continuò ad finem vsque increscit, Græcis ἐπακμαστική, nostris increscens appellatur vt 9.meth.3.

Has, quæ ex obstructione aut constipatione cutis accenduntur, licet diei spatium excedant, tamen à causa præincipiente fieri, & ad diariarum genus referri Gal.existimat, 9.meth.1.eo quòd licet obstructio ab internis causis fieri videatur, tamen licet cruditates congerantur & plenum sit corpus, nondũ tamẽ febris excitatur nisi cruditates ad oscula vsque venularũ & cutis transferantur: & ea plenitudo similiter vel in venas internas viscerũ retrudantur, id autẽ ab externa aliqua occasione accidit, vt 1.de diff.feb.3. Quæ verò à causa interna tantum obstructionem faciente generantur, humorum putrescentiam pariunt, & ad aliud genus referuntur.

At quæ ex bubone fiunt, duplicis sunt naturæ: nam aliquæ à causa antecedente generantur & interna. Aliquæ à causa procatarctica ortum ducunt. Has mites, illas malas esse Hipp. asserit. quarto 55. Quæ malæ sunt, iam ad naturam ephemerarum non pertinent, & à viscerum inflammationibus ortum ducunt. Quæ mites, à causa euidenti (vt idem Galen. A causa igitur aliqua procatarctica febres hæ Synochi, & quæ ex bubonibus excitantur originem ducunt: quamuis autem quæ ex bubone fiunt vltra diei spaciũ producantur, nunquam tamen ad tertium vsque diem perdurant, nisi error committatur, vt 9. meth. primo.

Secundum ſignum ſumptum eſt ab vrinis, quòd ita ephemerarum proprium eſt, vt ipſis omnibus & ſolis conueniat. Eſt autem, quòd à principio ſtatim morbi vrinæ coctionem oſtendant, tum coloris, tum hypoſtaſis ratione. Cauſa verò eſt, quoniam vrinæ colore & ſubſtantia, naturam humorum indicant: qui in venis continentur: hypoſtaſi verò, concoctionis modum, in iecinore & venis. Cùm autem ephemera neque humorum vitio fiat, neque concoctionem vitiet, vrina ſemper optima excernitur, niſi alius præterea affectus contingat, qui ſigni huius certitudinem immutet. Eandem ferè ſententiam habet Gal. 1. ad Glauc. cap. 2. verbis parum immutatis. Ait enim vrinas in his febribus inſpici, quæ aut ſanorum ſimiles ſunt, aut à naturali ſtatu parum receſſerunt, vt innuat ab ignito calore excrementa leuem quandam mutationem ſuſcipere.

Tertium ſignum ſumitur à pulſu: quòd quidem omni & ſoli cõuenit, ſicut & præcedens. Proprietas verò huius ſigni in duobus temporibus animaduertitur, dum adeſt feb. & vbi receſſerit. Quæ ineſt. proprietas præſente febre, hæc eſt.

Pulſus in magnitudinem augetur, & velox fit in diaſtole: nimirum ob refrigerij neceſſitatem & virium robur, nulla nanque vrinæ febris æquè parum vires diſſoluit. Frequentiæ verò non vnica eſt ratio: cum ipſa & raritas penes diuerſas pulſuum quietes ſpectetur. Quod vt intelligatis faciliùs. Sciendum pulſus omnes

ex duobus motibus cōtrariis conſtitui, dilatationis vel diaſtoles, & constrictionis vel ſiſtoles. Singulis motibus propriæ quietes ſuccedunt: penes motus velocitas & tarditas ſpectatur: penes quietes frequentia, & raritas. Diaſtoles ſeu dilatationis motus, refrigerij cauſa fit, & aeris intromittendi: Syſtole verò ſeu conſtrictione, fuliginoſi vapores truduntur. In febre ephemera, minor non eſt quã in cæteris refrigerij neceſſitas: à qua pulſuum magnitudo & velox dilatatio arteriæ contingit, aucto ſupra naturæ modum calore. At cum fulginoſorum vaporũ minor quam in putridis copia generetur, minus etiam properam fieri ſyſtolem neceſſe eſt. Hinc fit, vt in his febribus pulſuum velocitas penes diaſtolen tantum ſpectetur: Penes ſyſtolen nulla ferè cognoſci poſſit. Quies vtráque proprij motus naturam conſequitur, interna: dilatationis: exterior, conſtrictionis. Interior igitur breuiſſima eſt, quoniam dilatationis motus eſt velox, ſicut etiam in putridis febribus fieri videmus, exterior non ita breuis, quoniam conſtrictionis motus non æquè properat. Hac igitur ratione pulſuum motus, & quietes in febribus his diſtinguuntur, quòd diaſtole velocior ſit ſyſtole: cum in ſyſtole vel nulla, vel minima celeritas cognoſci poſſit, interior quies exteriori breuior eſt. Præterea adeſt pulſuum æqualitas: inæqualitas enim ex materiæ copia incidit, à qua virtutem grauari contingit. At in ephemera, materia nulla eſt, quę virtutem premat: ob id ænequalitas nulla percipitur. Hæc decla-

declarat Gal. tum 1. de diff. febr. cap. 7. Tum clarius 3. de præsag. ex pul. cap. 2. & 7.

Signum quod sumitur à pulsibus, postquam desierit febris, hoc est, quod statim ad pristinũ statum reuertitur, nullo relicto febris indicio præteritę. In reliquis verò omnibus, inæqualitas intermissionis tempore, quædam remanet, propriũ putrescentium indicium vt Gal. 1. ad Glauc. 2. ca. Hoc signum sumptum est ab actione læsa, sicut secundum ab exeunte mutato.

Quartum signum est caloris suauitas, si ad cæteras febres comparetur: neque enim absolutè calorem inaudire oportet, cũ ad sanos relatus, acrimoniã quãdam pręseferat. At suauitatis caloris causa est spirituũ substantia, & humiditas. Sũptum est hoc à substantialiter inhærentibus.

Quintum est, quòd in hac febre à principio ad statum vsque calor æqualiter increscit, & pulsus augentur. Causa verò hæc est, quod nulla incidat caloris aut pulsuũ coarctatio, sicut in his febribus quæ à crassa aut lenta materia accẽdũtur. Hoc signum omnibus quidem, sed non solis febribus commune est. Cũ eadem sit ferè ratio incrementi caloris & pulsuum in tertiana exquisita (vt 2. de cris.) licet non tam manifesta: idcirco hoc signũ, sicut & caloris suauitatem, melius est inter propria reponi, quod quamuis aliquibus etiã conueniat, his tamen præcipuè insit & præ cæteris, vt Gal. 1. de diff. 7.

Sextum signum est sumptũ ab inclinatione feb. quod febris desinat cũ sudore vel madore, vt sua-

ui quodam vapore,quem perfecta integritas excipiat. Sed mirũ videtur, quod ſpiritus in humorem ſoluantur. Reſpondet Stephanus, hoc idcirco contingere, quod cum in declinatione foras pellantur, in poris cutis humorem quendam naturalem inuenientes,cum proprio impetu ſecum ducunt, & ita mitis ille ſudor ſubſequitur.

Septimum eſt,quod ſi quæ præfuerant ex febre ſymptomata,vt capitis dolor,aut aliud huiuſmodi,vna cum febre ſoluuntur, ita vt nullum febris veſtigium relinquatur.

Octauum, & poſtremum eſt,quòd hæc febris ceteris omnibus faciliùs toleratur.

Quòd ſi febris ephemera in exquiſitam integritatem non deſinat, ſignum eſt eam in putridam degenerare, vt Gal.1.de diff.feb. 7. & quamuis id aliis etiam ſignis coniici poſſit, hoc tamen certiſſimum eſt proprium, & inſeparabile. Hæc ſunt diariarum febrium ſigna, quatenus ad diariarum rationem pertinent. Singularum verò propria quędam ſunt,quę à cauſis procatarcticis oriũtur, à quibus etiam differentẽ curationem accipiunt.

De ratione curationis febrium ephemerarum.
Cap. XIII.

VT curatio rectè inſtituatur,primo indicationes curatiuæ eliciendæ, moxque earum omnium vires eſtimandę, vt pro ſingularum facultatibus in indicando remediorum ſcopi iuxta proprium ordinem eruantur.

Intentiones curatiuæ ſumuntur à morbo, ab aere ambienti à virtute, vt nono meth. 14. quibus in his febribus addenda eſt ea quæ à cauſa morbi. Prima in ephemerarum febrium curatione intentio ſumitur à morbo, ab hoc propria remedia petuntur, cætera verò potius remediorum quantitatem augent, aut minuunt: cauſa excepta à qua quandóque remedia immutantur. Morbus vel ſimplex eſt, vel aliquid præterea ſecum habet adiunctum: quod aut morbum augeat, aut foueat, vel aliquam ob cauſam curationem impediat, aut inflectat, vbi multiplex erit morbus aut plura quæ conueniunt, indicantia, ratio quoque curationis erit multiplex, pro varietate eorum quæ ſimul coeuntia indicant.

Quæ plerumque febrium curationem immutant, ſunt cauſæ à quibus excitatæ fuerunt, quas manifeſtas, & procatarcticas, nos antecedentes eſſe diximus, penes quas etiam diſtinguebantur. Hæ igitur vel adhuc præſentes ſunt, vel receſſerunt. Si morbus à cauſa pendeat, duplex erit indicatio: Altera à morbo, altera à cauſa ipſius, vt Gal. 11. meth. 10. à cauſa: præſeruãdi, à morbo, curandi: vt 10. meth. primo, Omnis enim cauſæ ablatio præſeruatio eſt, vt etiam quarto meth. 3. ſi enim interea cauſa ſui aliquam impreſſionem permanentem induxerit, ea morbus dicitur. Hic propria remedia requirit, quorum applicatio curatio dicitur. Si nondum induxerit, paſſio dicitur, quæ tamdiu eſt, quamdiu fit, vt in lib. de diff. ſimp. primo.

Si verò causa recesserit, impressio quę à causa relicta est, modo actiones lædat, morb⁹ dicitur. Huic sola cõuenit curatio, ob id dicebat Gal. 11. meth. 2. quod diariarũ & hecticarũ propria est curatio. Quod quidẽ de illis præcipuè ephemeris intelligendũ existimo à quibus abest causa. Immutatur igitur harum febrium curatio, tum à causarum diuersitate, tum ab earum præsentia. Alia nanque remedia vni, alia alteri conueniunt, si differentes habeant causas, vt ei qui ex ebrietate, & quæ ex inedia, aut quæ ex vigiliis, aut longiori somno. Similiter etiam si absit causa, vt si quis ex ira febricitet, quæ plerumque excitata febre sedatur: aut obstructione vel cutis constipatione, quæ ad finem vsque febrem comitari, vel etiam prorogare solet. Nam in illa sola curationis ratio habenda est, in his causa quoque adimenda. Verùm longior futurus essem, si singulis ephemerarum differentiis propria remedia applicarem. Satísque mihi fecisse videbor si naturalem quandam curationis harum idæam descripsero: cum nec rei magnitudo exquisitiorem docendi rationem exigat, nec temporis angustia patiatur. Hoc vnum tamen præcipue præ oculis habendum, vt caueamus ne ab ipsis in grauiorem affectum, hecticam scilicet, aut putridam fiat transitus.

Quatuor igitur sunt remedia diariis omnibus communia, quibus omnes earum species curantur, balneum, frictio, cibus & potus, vt 8. meth. 3. horum aliqua quibusdam magis conueniunt,

alia minus. Qua verò ratione hæc opitulari possint, audiamus.

Febris hæc vbi causam præsentem non habet, aut aliud quidquam adiunctum, quod curationẽ immutet, sola est caloris innati alteratio in callidã & siccam intemperiem: ideóque neque euacuationem desiderat. Quod si quando Gal. sanguinis missionem imperet, vt 8. meth. ca. 4. id non fit ratione ephemerę, sed obstructionis, & vt transitus in putridã euitetur. Hæc igitur cum simplicissima sit, simplicissimã quoque habet indicationẽ, refrigerandi scilicet & humectandi, vt in pristinum tẽperamẽtũ calor restituatur. Omnis .n. morbus sui depulsionem indicat, depellitur autem contrariis. Contraria sunt refrigerantia & humectantia, hæc tum exterius adhibentur, tum interius sumuntur. Interius quidem, cibus & potus, qui refrigerent & humectent. Hac enim ratione victus humidus febricitantibus omnibus congruit: vt primo aph. 16. sicut & frigidus, quod quidem etsi ab Hippoc. explicatum non est, potestate tamẽ dictum intelligi debet, cum idem de vtroque sit iudicium(vt innuit Gal. in commentario qua enim ratione humectantia febris desiderat, eadem quoque refrigerantia postulabit. Exterius verò balneum, & frictio. Alterum refrigerat, & humectat, & cutim emollit. Alterum laxat, & digerit. Balneæ vero sint, quæ ex aqua dulci & potabili parantur, neque enim dum balneas dicimus alias inaudire oportet. Harum vsus erat frequens apud antiquos, in plurali

morborũ curatione. Num verò his & temporibus conueniant dubium eſt. Gal. 3. de ratione victus 44. ait, tempore Hipp. in paucis domibus paratas reperiri, tantùm abeſt vt plublicè grandi pecunia eſſent extructæ, quales Roman. temporibus, præcepit tamen in multis morbis, balneis eſſe vtendum vt ſexto aph. trigeſimo primo & ſeptimo aph. 43.

Licet igitur his temporibus balnearum vſus adeo frequens non ſit, non parum tamen in multorum morborũ curatione ſunt opportuna. Vtiliſſima vero, qui iis frequentioribus aſſueuerunt. Quatuor eſſe balnei partes aſſerit Gal. 10. meth. 10 caldarium, quod qui ingrediuntur in aëre verſantur calido, ab eo pori reſerantur, humores ſoluuntur, & lique fiunt. Secunda balnei ſedes eſt labrum, ſeu ſolium aqua calida plenum, in quam deſcendebant lauandi, tamdiu immorantes quamdiu per vires licuiſſet, hæc digerit, cutim laxat, atque emollit, rarum efficit corporis habitum, humectat, atque refrigerat. Eſt deinde tertio locus vbi aqua frigida ſeruabatur, vt ſi caloris aliquid eſſet contractum à balneo calido, id totum frigido lauacro corrigeretur, cutis denſaretur, & vires firmarentur. Poſtremo erat locus vbi ſudor abſtergebatur. Harum partium aliqua vni, alia alteri ephemerę magis conuenit. Verùm hæc longiore oratione à nobis non ſunt explicanda, quod earum apud nos vſus infrequens ſit. Verum hoc monemus, quod vbi aliqua plenitudinis ſuſpicio ſit, vt qui-

bus ex cutis densitate vaporum effluuium suppressum est, aut qui ex bubone diaria afficiuntur, parcius est lauandum. Idcirco Gal. octauo meth. quarto, vbi insignis sit obstructio, & immodica plenitudo, iubet prius secta vena corpus euacuari, quam in balnea descendere: post balneum multo oleo tepido inungebantur, & diu molliter fricabantur, quorum vtrumque iis maximè conuenit, qui ex labore & lassitudine febricitant. Solæ frictiones nostris temporibus ex his omnibus remediis vsurpantur. Earum enim vsus apud nos frequens esse solet omnibus ephemera laborãtibus: conferunt pręcipuè si tales adhibeantur, quales esse conuenit. De his Gal. secundo de san. tu. Balneum ergo & frictio: cuilibet ephemerę conueniunt: cibus sit refrigerans, & humectans, concoctu facilis, non excrementosus, boni succi, & non admodum nutriens, ac medicamentosæ facultatis minimè particeps: quibus viribus prædita est ptisana hordeacea, deinde alica, quæ licet lentorem aliquem habeat, si aceti modicum accipiat, inter coquendum exiguum illum lentorem deponit, vt Gal. 8. meth. cap. secundo, deinde panis lotus, aues montanæ, pisces saxatiles, vel qui in pelago, vel aquis mundis pascuntur. Potus, sit vinũ, modo id neque vetus neque generosum sit, tale est quod Gręci ὀλιγοφόρον nostri commodè aquosum dixerunt. Id enim non calefacit, non adstringit, sed potius refrigerat, & vrinas ciet, humectat,

ventriculum roborat, & ſpiritus reficit: aqua tamen mediocri temperandum eſt. Verùm Gal. 2. ad Glauc. 3. cap. iis qui ex bubone, aut valida conſtipatione vna cum plenitudine, aut qui vehementer refrigerati febricitant, vinum interdicit, ne fuſis humoribus affectus augeatur. Quod ſi quis roget quo tempore in balneum ducendi ſunt ægri, quantúmque in ipſo immorandum, rurſus quando alendi, & quantum, Is intelligat inclinanti tãtùm febre balnea eſſe opportuna. Mora in balneo ſit, pro viribus ægrotantis, pro conſuetudine, & pro ratione affectus, &, vt breui complectar, quouſque eum balneum iuuet.

Cibus à balneo exhibendus ea menſura, quam facilè ab ægrotante confici poſſe arbitremur: habita ſemper ratione ætatis, temperamenti, conſuetudinis, & temporis anni. Tentare autẽ oportet contrarium afferre ei quæ moleſtiam attulit, cauſæ: labori quietem, vigiliis ſomnum, iræ, furori, atque triſtitiæ, ſermonibus, actionibus, amicorum conſuetudine, atque ſpectaculis, animi iucunditatem. Si quis cogitatione intenſiore laboret, ratiocinationes omittat. Qui ex inguinũ inflammatione febricitat, huius curationi intendat. Antè omnia vero vlceris, vnde originem habuit, ita quoque & reliquis differentiis ephemerarum, contrariis cauſis occurrendum eſt.

De febribus putridis. Et primum quid ſit putredo, & quomodo diffinitio putredinis ab Ariſt. & Gal. tradita debeat intelligi. *Cap.* XIIII.



Vm de febribus ephemeris egerimus, ad reliqua propoſitæ diuiſionis membra procedendum eſt. Ea verò cum duo ſint, hecticarum & putridarum, primo de putridis earúmque differentiis agemus, quòd & frequentiores ſint, & exactiorem operam requirant: Poſteriùs etiam de hecticis verba facturi. Vt autem explicatiùs futurum ſit, quòd de febribus putridis dicturi ſumus, primò quid ſit putredo nobis exponēdum eſt, deinde quomodo in humoribus generetur: ita vt ex eis putreſcentibus febres accendantur. A diffinitione igitur ordiemur, Gal. imitati, qui XI. Metho. cap. 8. à putredinis difinitione tractationem auſpicatur. Duas verò ex plurimis diffinitiones tantùm referemus: Alterā Galeni, alteram Ariſt. quòd ex eis integra eius cognitio erui poſſit. Ariſt. itaque 4. Metheo. cap. 2. eam ſic definit, quaſi ſit corruptio proprij & innati caloris, in vnoquoque humido, ab aliena caliditate. Cùm autem putrefactio ſit mixti naturalis corruptio: eáque generationi opponatur: vt 4. Metheo. cap. 2. videndum quomodo fiat generatio. Hæc enim ad putrefactionem relata, habitus vicem gerit, ſicut altera priuationis. At priuatio per habitum meliùs cognoſcitur. Gene-

ratio omnis mixtorum, per mixtionem fit, vt primo de generatione & corrupt. 79. mixtio alteratione mutua corporum miſſibilium. Alteratio verò, caloris actione qui quidem admixto frigore temperatur, vt eius conueniens ſit actio. At quæ miſcentur, humida ſunt & ſicca. Ea enim mixtorum omnium materia eſt: nam quæ humida ſunt mixtis continuitatem, quæ ſicca conſiſtentiam exhibent: vt Auer. expoſuit 4. Meteo. 28. Calor itaque innatus erit proxima cauſa, a qua vnumquódque mixtum efficitur. Ea verò caloris actio ſi ad mixti generationem terminetur concoctio quædam eſt vt ex Ariſt. intelligitur, qui 4. Meteo. cap. 3. concoctionem definit, perfectionem à propria & innata caliditate ex oppoſitis paſſiuis. Vi igitur proprij & innati caloris in concoctione humidum perficitur. Id autẽ contingit vbi ſiccum ei cõuenienter admixtum ſit, & vtrumque caloris actione tẽperetur. Tunc enim mixtionem & vnionem perfici, formam mixti educi, & mixtum generari neceſſe eſt. Erit itaque concoctio, via quædam & tranſmutatio, quæ ad mixti generationẽ terminatur. Putrefactio ergo cùm contraria ſit generationi mixti, vt Ariſt. 4. Meteo. cap. 2. vel erit interitus, ſeu corruptio mixti corporis, vel via ad corruptionem. At mixti corruptio eſſe non poteſt, cùm hæc momẽto fiat, illa verò temporis ſpatio. Relinquitur igitur vt ſit via & tranſitus ad corruptionem, ſicut concoctio ad generationem. Nam ſicut cõcoctio tranſmutatio eſt, qua ad mixtionem & vnionem

miſſibilia terminātur: ita putrefactio qua diſſoluuntur & ſegregantur, quæ cōcoctione in vnitatē coiuerant. Et ſicut concoctio perficitur vi caloris innati humidū ſuperantis, ita putrefactio, vbi is imbecillior redditus humidū cohercere, & quæ in mixtionē conuenerant continere nō poteſt. Ita vt alieno accedente, mixti partes diſſolui neceſſe ſit. Innato nāque calori duo opponūtur, alienus, ſeu præter rei naturā calor, & frigus. Alterū qua calor eſt, alterum, qua ingenitus & proprius: hoc enim modo inter ſeſe calores diſſidere docet Gal. 2. de diff. feb. 9. hūcque cōcoquere, illū putrefacere ex Ariſt. ſentētia adfirmat. Quod ſi à frigore natiuus calor extinguatur, iam non putrefactio, ſed cōgelatio dicitur. Neque etiam ſi quomodocūque ab externo calore innatus calor patiatur, putrefactio contingit: Nam ſi tanta ſit actio alienę caliditatis, vt humidū cui natiuus calor innitebatur, cōfeſtim abſumat, & exhauriat, iam nō putrefactio, ſed cōbuſtio dicenda eſt, quæ exhauſto humido, calorē etiā qui ab eo fruebatur extinguit. Quòd ſi eatenus tantū inſitum calorē ſuperet, vt ipſum paulatim foras euocet, ac diſſoluat: & vna cū ipſo humidum cui inhærebat, putrefactio dicetur. Vnde fit, vt in putredine quę exterius apparent, humidiora videantur. Harū extīctionū, altera ſēper violēta eſt, altera quādoque naturalis, quādoq; etiā violēta. Cōbuſtio ſemper ab alieno, nunquā à naturali calore poteſt induci. Ideo ſemper violenta eſſe dicitur. Putrefactio autem modo à proprio, modo ab alieno contingit.

Ab innato quidem, cùm ex diuturna ipsius actione humidum & vnà cùm humido ipsemet calor absumitur: Et adeò imbecillis fit, vt mixtionem continere non possit. Vnum euenit vt accedente calore externo dissoluatur: & cui inest mixtum putrescat. Hac ratione plantæ & animalia omnia paulatim senescẽtia contabescunt, & marcescunt, propria vi & natura, vt Arist. in lib. de long. & breuit. vitæ cap. 3. vbi vocat hanc mutationem, quæ fit ab exsolutione caloris, marcorem. Et quæ in animalibus senectus dicitur, in plantis ἄυανσις hoc est siccitas appellatur, via scilicet ad cuinsque mixti corruptionem & interitum: vt 4. Metheo. 1. ca. Quæ verò putrefactio violenta est, & præter naturam, duobus modis fieri potest: primo quidem cùm ab externo calore innatus superatur, & euocatur, ac tandem dissipatur & dissoluitur. Id autem in locis calidis, & tempore calido maximè contingit: præcipuè verò, si quæ caloris iniuriam patiuntur, humida sint: talia enim neque facile à proprio calore reguntur, neque ab externo deffendi possunt, Vt primo de differentiis feb. 4. secus in frigore contingit: Nam frigus externum innatum calorem interius repellit, colligit, & vegetiorem reddit, & ita putredinẽ arcet. Altero verò modo fit putrefactio violenta, cùm natiuus calor in alienum mutatur, & præter naturam: nam sicut naturalis mixtionem & generationem efficit, & conseruat: ita si in alienum vertatur, putrefacit, corrumpit, & omninò mixtionẽ dissoluit. Hæc docet Arist. 4.

Meteo.cap.2.à quò nequeGal.diſſentit.2.de diff. feb.9.qui hac ratione putredinem, & ab ea putridas exiſtimat febres accendi. Degenerat autem natiuus calor in alienum, & præter naturam, ſi naturalis temperamenti eius mixti, cui propriùs eſt, limites excedat. Id autem contingit, cùm ob multas cauſas, tum verò maximè ob prohibitam refrigerationem externi aëris, à quo continua perflatione, & euentatione calor temperatur: Cuiusrei hoc argumentum eſſe poteſt, quòd vt ait Gal.xi.Meth.4. quæ diutiùs aſſeruari volumus, ea in loco ventis perflato collocamus: procul tamen à radiis ſolaribus, æſtate præſertim, ne ſi ſolis calore afficiantur, minùs refrigerata putreſcant.

Prohibitæ autem euentationis cauſa duplex in nobis eſt, viſcerum obſtructio, & cutis denſatio ſeu conſtipatio. Ab his enim calor humorum accenditur, ita vt qui priùs naturalis erat, & iis cõſeruandis aptiſſimus, innati limites excedens, putredinis ipſorum ſit cauſa, putredo autem febris. Hæc ſatis mihi videntur eſſe ad explicationem eorum quæ ab Ariſt. tradita ſunt in definitione putrefactionis. Dicitur autem violenta combuſtio, eóquod fiat prorſus à cauſa violenta, nullo pacto iuuante calore naturali. At putrefactio partim dicitur violenta, partim naturalis. Naturalis illa dicetur quæ ſponte naturæ fit, & cuius principium naturale eſt. Violenta, illa cuius principium non eſt naturale, ſed præter naturam, licet iuuetur à calore naturali, vt in vtráque ſpecie

putredinis apparet, quas diximus esse violentas, quæ si ad naturalem comparentur, dicentur violentæ, sed si ad combustionem dicentur naturales.

Nunc videndum num his consentiant quæ à Gal. in eiusdem definitione dicuntur. Is igitur vndecimo Meth. cap. 8. eam sic describit. Putrefactio est mutatio totius putrescentis corporis substantiæ, ad corruptelam, à calido externo: per substantiam corporis intelligit temperaturam, vt esse declarat 3. Aph. 2. clariùs in lib. de vsu respi. cap. 5. prope finem, vbi ait, vniuscuiusque partis substantiam, esse propriam temperaturam. Hæc igitur substantia corrumpitur à calore externo, si temperamentum, quòd commixtione elementorum constabat, iis segregatis à se inuicem dissoluatur: Sicut enim generatio fit conuenientibus in vnitatem elementis, vi caloris innati, & eo concoquente quoddam temperamentum exurgit: ita ab alieno calore iis disipatis, intercedente putredine, contingit interitus, & corruptio. Et sicut solo innato calore elementa copulantur, & connectuntur, ita eodem solo in præter naturam mutato dissoluuntur. Eadem est igitur diffinitionis vtriusque sententia, quamuis verbis dissentire videantur.

Qua ratione putreſcant humores, tum in venis, tum extra venas, vt ex eis febres generentur. Cap. XV.

QVÆ hactenus explicata ſunt, eò tendunt, vt doceant quomodo febres in nobis putridæ generentur. Id autem contingit deductis priùs ad putrefactionem humoribus. Neceſſe eſt igitur prius intelligamus quomodo humores putreſcant, tum qui in venis continentur, tum qui extra venas pelluntur: ex quibus febres cõtinuæ & intermittẽtes fiunt: vt tandem ex his curatiuas indicationes poſſimus elicere. Prius autem de intermittẽtibus, poſterius, de continuis agemus. Humores qui ſunt in venis, quãdiu in propriis vaſis continẽtur, ab ingenito eis calore gubernãtur: & ab eo qui ex præcipuis viſceribus pręſertim verò à corde & ab hepate influit: vt de corde declarat Gal. in libello de vſu pul. cap. 3. & in lib. de fætuum form. cap. 3. Et ſicut iecinori vis ineſt generandi humores: ita& propria vis quos genuit, cõſeruandi. Obtinuit enim à principio vna cùm corde multum caloris ingeniti (vt teſtatur Gal. 6. epid. com. 4. comm. 25.) quem etiam in eaſdem venas effundit, ſiue id fiat per ſpiritus naturales immiſſos, ſiue ſecus. Nam id incertũ, fuiſſe videtur Gal. 12. Meth. 50. Præterea venis ineſt vis quædam humores conquoquẽdi. vt 4. de vſu part. cap. 16. quã tum ab hepate, à quo deſumunt originẽ, tum à ſolidarũ partium inſito calore concipiunt. Quẽ etiam naturam Galenus vocat, regentem ſolida

corpora 4. Aphor. 37. At quibus inest generandi seu concoquendi facultas, inest etiã conseruandi. Cùm vtrunque munus ab eadem facultate prodeat: humores itaque qui per venas fluunt, reguntur à suo proprio calore cordis & hepatis. Horum, qui partibus est insitus, materiæ, qui influit, formæ habet rationem: vt 9. col. 2. Insuper à vasorum facultate, locus enim propriùs ad cuiusque rei conseruationem plurimum præstat. Quòd si à vasis exciderint, influente ab hepate calore, & venarum tutela destituuntur, vnde eos putrescere necesse est: ob id merito dicebat Hipp. 6. Aphor. 20. Sanguinem si extra venas exierit necessariò corrumpi, & in pus cõuerti. At in omnibus febribus intermittentibus, humores febrem facturi è venis pelluntur, quare necesse est eos putrescere. Cuius rei hæc causa est, quòd vbi primum calor naturalis ipsorum ex insito & influente compositus, diminutus sit, qui relinquitur, humidum continere non potest. Quare opus est, vt in aliam temperiẽ humores commutentur, & quoquo modo putredinem subeant. Hac ratione febres intermittentes in nobis generantur. Priùs enim humores vitiati ab expultrice facultate vasorum excluduntur: hi deinde influente hepatis calore & loci destituti, ab alieno occupantur, & putrent, ac febrem accendunt, eius naturæ, qualis humor putridus extiterit.

Putredinis autem quæ in venis fit, duplex est ratio immodicus & igneus calor, vasorum & hu-

mo-

morum diſpoſitio augetur ad immodicam menſuram calor vaſorum, vbi qui ipſis à natura inſitus eſt, non rectè perſpirauerit, & difflauerit, vt Gal. in lib. de vſu pul. & reſp. cap. 3. & Ariſt. in lib. de long. & breuitate vitę cap. 3. intercipitur difflatio tum obſtructione viſcerum, aut venarũ, aut exiguorum meatuum: tum verò cutis condenſatione, vel conſtipatione. Obſtructio fit vel à multitudine, vel craſſitie, vel lentore humorum. Cōſtipatio ſeu condenſatio fit à frigore compingēte, aut ab adſtringentibus, aut arefacientibus. Diſponuntur humores ad putredinem vbi eorum inſitus calor vitiatus eſt. Vitiatur autem vbi ab ipſa generatione imbecillior effectus, neque humidum rectè conficere, neque ei ſiccum elementum congrue admiſcere poteſt. Id autem contingit vitio ventriculi, vel hepatis vel ciborum aſſumptorum. Ventriculi quidem aut hepatis, vbi alterius eorum, aut vtriuſque concoquendi facultas labefactata eſt, cùm alterius error ab altero emendari non poſſit. Accedit hoc vel proprio viſcerum affectu, vel externa aliqua cauſa: proprio quidem affectu, ſi intemperie frigida vel calida laborent. A frigida crudi humores generantur. A calida cibi in nidoroſam qualitatem corrumpuntur: vt 3. de Symp. cauſ. cap. primo. Externa cauſa eſt, ſi deprauatus ſit ciborum ordo, ſi repletioni confeſtim ſuccedat importuna corporis agitatio, aut vehemens ſtudium, & animi applicatio. Si immodicè cibus ingeratur, ſi alter priùs aſſumatur,

quàm prior confectus ſit: ſi nimio potu cibus in ventriculo fluctuet. Si accedat veneris nimius aut importunus vſus. Ciborum vitio putreſcunt humores, ſi humidiores natura ſint, vt fructus ὡραῖοι & olera plurima : ſi præ ſui frigiditate à calore viſcerum probè confici nequeant: vt cucumeres, cucurbitæ, fungi, poma, & pira immatura, melones indi, cibi non ſatis co- cti, aut malè parati, ſi facile putreſcant, vt lac, ſi qui alioqui ſuaptè natura boni ſunt, ſitum vel putredinem quandam contraxerint. Ex his enim geniti humores facile putredinem adſciſcunt. Hæ igitur ſunt cauſæ à quibus humores qui in vaſis ſunt facile ad putredinem deducuntur : ab his continuè febres accenduntur, ſi putrefacti in venis detineantur. Harum verò cauſarum altera materialis eſt: altera efficiens. vitioſus cibus humorum & putredinis materia eſt. : at prohibita tranſpiratio, & viſcerum intemperies, calor præter naturam, & quicquid putredinem adiuuat, ad efficientem cauſam pertinet.

Quæritur hoc loco num ad putredinem generandam in corpore neceſſaria ſit prohibita tranſpiratio vel obſtructio. Gal. variè loquutus videtur. Nam vndecimo Meth. quarto ait ſi quid putreſcere debeat, tranſpirationes & perflationes impeditas eſſe oportet: eáque oportere eſſe calida & humida & in loco calido. At ſecundo de diff. feb. nono refert cauſam putredi-

nis præcipuè in obſtructionem. In libro autem de inæquali intemp. cap. 7. ait quòd prohibita tranſpiratio & obſtructio ſunt cauſæ putredinis, verum non neceſſariæ ſed vt celeriùs putredo excitetur. At Auic. prima 4. tr. 2. cap. primo, enumerat plures, quæ reducuntur ad ſeptem. Galenus itaque ſemper refert cauſam putredinis humorum in obſtructionem aut prohibitam tranſpirationem, aut vtrumque. Verum ſi fiat in vniuerſa humorum congerie, ea fieri non poteſt abſque perſpiratione cohibita: de hac vndecimo Meth. quarto, Si in vna tantum parte, etiam abſque obſtructione fit: de hac ſecundo de differentiis feb. 9. vbi oſtendit quomodo putreſcat ſanguis collectus in aliqua parte, at in lib. de inæquali intemp. conſiderat vtramque in vniuerſum, & idcirco meminit aliarum cauſarum iuuantium, quarum alibi ſe feciſſe mentionem dicit, ſcilicet vndecimo Meth. quarto, & quòd calida ſint & humida oporteat, & in calido loco, vt faciliùs inducatur. Hæc enim putredinem accerſunt. Neceſſe eſt igitur, vt febris putrida generetur, vel perſpirationem eſſe impeditam, vel adeſſe obſtructionem, neque inſtantia quàm afferunt, eſt vllius momenti, de chylo in ventriculo putreſcente, qui à calore ventriculi putreat? nam neque ibi putredinem ſubiret, ſi congruè perſpiraſſet, & refrigerium accepiſſet, & XI. Meth. 4. ait quæ calida ſunt

& humida, ſi conuenienter perflentur, poſſe à putredine præſeruari. Hæc ſi quis exactè intellexerit, facile etiam intelliget quæcúnque à Galeno de putredine & cauſis ipſius xi. Meth. & ab Auic. 2. trac. primæ fen. 4. Can. cap. 1. dicuntur. Nam ibi Auic. loquitur de putredine quæ contingit in humorum generatione, & ita plures cauſæ concurrunt, ſed humorum putredo ab his cauſis fit.

De temporibus morborum.
Cap. XVI.


Gendum nunc eſt de temporibus febriũ vt ſciamus quid quouis tempore ad earum curationẽ facere opus ſit: cũ eadem remedia in diuerſis morborum temporibus non ſemper conueniant.

Tempora morborũ ſecus apud Medicos, quàm apud Philoſophos intelligũtur. Neque enim mẽſuram motus ſignificãt, vt definiuit Ariſt. ſed potius motus & mutationes, quæ in diuerſis partibus tẽporis fiunt, in morbis. Sicut enim ætates animaliũ menſurantur penes diuerſas mutationes, quæ in animalibus contingũt in diuerſis tẽporibus, ita tempora morborũ deſcribuntur penes diuerſas mutationes, quæ fiũt in morbis, in diuerſis temporibus, & ea tempora à mutationibus denominantur. Cùm itaque aſſerimus morbum habe-

re 4.tempora,significari volumus, eum quatuor modis variari in diuersis partibus temporis: eásque mutationes successiuè tantùm contingere. Plures autem simul concidere non posse, & similiter dum dicimus quædam remedia quodam tẽpore conuenire,aut secus,per id tempus intelligimus certam quandam mutationem, quæ in tempore morbo contingit.

Hæc tempora vniuersalia triplici ratione distinguuntur ex essentia morbi, ex accidentibus comitantibus,& ex materiæ dispositione. Ita vt iuxta harũ quamlibet omnia reperiri contingat. Et ad morbi quidem essentiam quòd attinet, tẽporá metimur ex paruitate& magnitudine ipsius: vt principiũ dicimus cùm adhuc morbus pusillus est,actiones tamen lædere manifestè incipit, incrementum vbi vires acquirit, & in perspicuã magnitudinem augetur.Status, vbi iam quantũ potuit,tantùm increuit,& summas vires adeptus consistere videtur. Declinatio vbi remittitur & mitior fieri incipit.Exemplis res hæc facilius declarabitur.Sit inflammatio quę ratione qua tumor est,actiones lædat,vt interim morbos comitantes seiungamus:vbi primum genita operationes vitiet,in principio vbi in ampliorẽ molẽ augeatur,in augmẽto, vbi maximum quem potuit tumorem adepta sit,in statu,vbi tumor subsidere cæperit,& exolui, declinatio dicetur. Sic de reliquis morborum generibus intelligere licet.

Symptomatis comitantibus discernuntur tẽpo-

ra, prout ea, aut in principio adhuc parua, aut increſcentia, aut maxima, aut declinare, & remiſſiora fieri videntur: iuxta quàm ſentẽtiam ea diſtinxit Hipp. 2. Apho. 30. dum dixit, circa principia & fines omnia imbecilliora: cùm verò conſiſtunt fortiora. At materiæ tranſmutatione tempora metimur, principium ſtatuentes vbi materia prorſus cruda ſit: Crudam dicimus, quæ nullam adhuc elaborationem à naturali calore aut præter naturam perpeſſa eſt: quòd manifeſtis ſignis deprehendi poſſit, ita vt neque ad coctionem apertè tranſmutata, neque ad diſpoſitionem omnino coctioni contrariam declinare videatur. Sic augmentum vbi ſigna aliqua alterutram impreſſionem in humoribus teſtantia non obſcurè conſpiciantur. Statum verò ſi perſpicuè exactæ coctionis aut infeſtiſſimæ humorum peruicaciæ ſigna innotuerint. Sic declinationes cùm concocta materia foras detruditur. Huius diſtinctionis temporum meminit Hipp. ſæpius vt primo Aphor. 22. concocta medicari. Et primo Epid. com. 2. text. 45. coctiones celeritatem iudicij portendunt. Et Gal. primo de criſ. 7. 8. 9. 17. & paſſim, has omnes temporum varietates deſcribit Gal. 3. acut. vltimo. Ex his colligere licet, tempora hæc, tum ſalubribus tum lætalibus morbis competere: cùm in vtriſque par ſit aut caloris naturalis, aut eius qui omnino præter naturam eſt, actio: quæ ad ſalutem, vel mortem terminatur. Verùm inter vtróſque hoc intereſt,

quòd ſalubribus quatuor tempora contingere neceſſe eſt, læthalibus verò declinatio numquam poteſt accidere, cùm ſupremam morbi prauitatem interitus excipiat: qui aliquando in principium, frequentiùs in augmentum, frequentiſſimè in ſtatum morbi incidat: prout varia eſt prauitatis morbi ad vires proportio in declinationem verò numquam differatur. Præterea ſcire oportet, morborum aliquos affecta materia conſtare alios nulla: eóſque qui materia conſtant variè diſponi, & commutari, prout varia fuerit alteratio, quàm materia à calore naturali vel febrili agente receperit, vnde etiam varia ſymptomata producuntur, vt exemplo febrium putridarum & abſceſſuum facilè poteſt intelligi. Qui verò humorem morbi materiam non habent, tam variis ſymptomatibus ægrum vexare non ſolent, vt hectica, ephemera, continui ſolutio, cùm materia careant, cuius alteratione noua frequenter oriuntur. Sed in his ſymptomata quæ accidunt, morbi magnitudinem imitantur. Sola enim obſtructio, licet à materia generetur, neque apertas mutationes ſubire, neque ſymptomata varia poteſt inducere.

An tempora quæ diuerſis rationibus ſpectantur ſemper coincidant. Cap. XV.

DVm taque dicimus, morbis quatuor tempora contingere, ſi morbus cauſam efficiẽtem habeat, intelligimus præcipuè tempora,

quæ ex coctione & peruicacia seu prauitate materiæ spectantur. De qua Gal. in lib. de totius morbi temporibus, & 1. de diff. feb. cap. 9. vtrobíque, quibus frequenter cõcidũt quæ ex morbi magnitudine, & quæ ex symptomatibus distinguuntur. Aliquando diuersa incrementa contingunt temporibus, quæ penes vnam aut aliam rationem sumuntur. Cùm autem variis modis hoc possit accidere, sciendum morbos aliquos læthales esse, alios salubres, aliquos materiales, alios sine materia fieri. In iis qui à morbo perituri sunt, status morbi semper est cùm statu symptomatum, cum læuiora symptomata esse non possint quàm mortis. At symptomatum status non semper cùm summo morbi vigore est, sed quandoque antecedit, cùm mors in principium vel augmentum incidat, semper enim homine moriente status adest symptomatum, nisi quis dicat symptomata quoque aucta iri, si vires ægrotantis vsque in statum restitissent. Augentur autem quatuor modis, numero, magnitudine, perseuerantia, seu longitudine & specie, vt cùm nouum symptomatum genus superuenerit, quòd prius non aderat, vt conuulsio, deliriũ. In iis autem qui à morbo sunt euasuri, si is absque materia sit, tunc erunt simptomata sæuissima, cùm in summo vigore sit morbus, quòd ea à solo morbo prodeant. Si verò pendeant à materia, vel tota seruatur vsque ad statum, vel magna ex parte minuitur. Si tota, vel eius maxima pars seruetur neces-

ſe eſt enim ſemperportionem ſubtiliorem quantulamcumque decedere : Id duobus modis poteſt contingere, vel materia ad benignum tranſeunte, vel ad oppoſitam coctioni qualitatem: de qua Gal. in paulo antè citatis locis. Si peiorem conditionem accipiat ſtatus, ſymptomata difficiliora ſunt, & tempora coincidunt: cum materia & quantitate eadem ſit, & qualitate deterior. In his morbis ſi qua ſalus ſperatur, vt plurimum contingit facto abſceſſu, de quo Gal. 2. prognoſ. 67. & decimo tertio. Nō enim poteſt natura humorem noxium educere. Id autem fit quia non potuit prauum ab vtili ſegregare: At ſegregare non potuit, quia neque potuit concoquere: Concoctio enim ſeparationem præcedit, primo aph. 22. hinc fit, vt hoc genere criſis, pauci euadant. euacuatio enim non contingit, quoniã cum benignum corrupto miſceatur, quod vtile eſt à membris retinetur. Quòd ſi quando expellatur, indicium eſt, id adeò prauum eſſe, vt natura propriæ vtilitatis oblita, vtilè cum inutili reiiciat. Quod quidem mortis eſt ſignum. Moriuntur autem quoniam virtus antea ſuccumbit, quam abſoluatur euacuatio.

Sin autem morbi materia meliorem conditionem admittat, ſeruetúrque tota vſque ad ſtatum: id altero duorum modorum poteſt euenire, vel ceſſante prorſus materiæ vitio, & ea in vtilem cõmutata: & tunc ſtatus morbi cum ſtatu ſymptomatum idem eſt, ſicut in morbis materia caren-

tibus, vel concocta inutili materia, & segregata, & tunc quoque status morbi & symptomatum simul contingent. Nam cum tria sint symptomatum genera, vnum materiæ se mouentis. Alterum actione caloris naturalis in illam, tertium crisis, & pugnæ: licet symptomata materiæ sint peiora in principio, vt grauitas, rigor, præfocatio, ea tamẽ reliqua duo sunt peiora in statu, cum exactissimæ concoctiones & separationes prima parte status, in secunda euacuationes & crises eueniant. Quod si crisis non fiat in secunda parte status, sed contingat morbum paulatim dissolui: tunc status erit mitior, principióque secunda sui parte, quia materia cocta existente iam non erunt coctionis symptomata, sed nec expulsionis: Ergo secunda pars erit mitior principio. Sed status symptomatũ finietur cum prima parte status morbi, & coincidet. De his morbis loqui videtur Gal. secnndo aph. 29. vbi ait, quod in salubribus morbis principium melius est statu. Quod si materia ad statum vsque tota non reseruetur, & morbus salubris sit, cùm id pluribus modis possit accidere: varie etiam tempora contingent, modo coincidentia: modo mutuo sibi succedentia. Quinque autem sunt modi quibus materia ad statum vsque non reseruatur. Primus est, cum natura morbi hoc exigit, vt in febre, quam Græci παρακμαστικὴν Latini decrescentem appellant: in qua status ante quam decrescere incipiat, licet id breue sit tempus, vt circiter horarum sex: tunc status mor-

bi coincidit cum ſtatu ſymptomatum. Toto verò reliquo tempore quo decreſcit, ſub quatuor eſt temporibus: pro ratione materiæ, quæ putrere incipit, concoquitur, conconcocta eſt, & exoluitur. Alter modus eſt, cum in circuitibus acceſſionum aliquid ſemper materiæ adimitur, facta in ſingulis acceſſionibus criſi: vt in tertianis, quartanis, & quotidianis febribus. In his cum leuior materia continue putreſcat, grauior relinquatur, fit vt plurimum, vt ſtatus morbi grauiora etiam ſymptomata habeat. Tertius modus in quo materia ante ſtatum apertè minuitur, eſt, ſi incerto quodã loco colligatur, vt in pleuritide, & peripneumonia: cum tota ſimul concoqui non poſſit, paulatim educitur ſputis, aut aliis modis. In his non ſunt deteriora ſtatus ſymptomata, quam reliquorum temporum. Sed vt plurimum mitiora. Ob id dicebat Hipp. ſecundo aph. 47. dum pus fit, dolores, & febres accidunt magis quam iam confecto. Quartus modus eſt, cum materia turgẽte natura aliquid deduxit, vel medicus exhibito pharmaco, aut ſanguine miſſo. Fit enim vt ſtatus ſymptomatum contingat ante euacuationem, ſtatus morbi ſuo tempore.

Verùm id euenit, ſi quod eductum eſt, plurimum ſit, aut peſſimæ qualitatis, & quod relinquitur, nõ adeo vitioſum: nam alioqui ſecus contingeret. Quintus & poſtremus eſt, cum irritata natura ſub augmentum, nondum exactè concoctam materiam expellat, vt tertio de criſ. 6. & 10. fiatque criſis, quam plerũque recidiua ſubſequitur.

Tunc enim ſi maxima pars materiæ ſit eiecta, mitiora erunt ſymptomata ſtatus quam augmenti.

Quærunt recentiores. Num morbis omnibus contingant quatuor tempora, & adducunt inſtātias, quæ quoniam ex his quæ dicta ſunt, facilè ſoluuntur: nō eſt quod in his referendis tempus inutiliter conteratur. Satis eſt vobis ratum eſſe ex Gal. morbos omnes, qui ad ſalutem terminantur, quatuor temporibus cōſtare: licet in quibuſdam principium ſit breuiſſimum, ita vt vix dignoſcatur: imò accidit, vt vno die perueniatur ad ſtatū, vt Gal. primo de criſ. 17. Nec oppoſitum dicit Hipp. dum ait, primo epid. com. 3. tex. decimo. Continua eſt, quæ ſtatim incipiens floreſcit ac viget. Neque enim ſtatim intelligit, quaſi immediate ad ſtatum deueniat, ſed quod breuiſſimum morbi ſit principium. Cum ſtatus ob ſui vehementiam & longitudinem faciliùs percipiatur, vt etiam Gal. oſtendit in lib. de quatuor temporibus morbi cap. 4.

Sciendum præterea in declinatione vniuerſali morbi mortem nunquam poſſe contingere: vt declarat Gal. 3. de criſ. 5. & 9. & Auic. prima fen. 4. tract. primo, capi. tertio. Obiiciuntur multa ab expoſitoribus, quæ fictitia ſunt, vt oſtendant id quandóque poſſe euenire: verum hoc facilè cognoſcetur perſpecta declinationis natura. Duplex itaq; eſt vniuerſalis declinatio, vera & falſa. Vera eſt in qua tota materia cōcocta & ſegregata eſt atque euacuatio eſt iam aliqua ex parte ſubſe-

quuta, vt 4.aph. 22. præcessit enim declinationē crisis, vel vniuersalis, vel multæ particulares, à quibus magna ex partè materia educta est, nā in prima status partè factæ fuerunt coctiones, & separationes. In secunda verò euacuatio, vel per crisim, vel multæ particulares. In hac vires constant præsertim vitalis & naturalis: vt secundo aph. 29. vitalis, expulsuum constantia, æqualitate, & ordine: naturalis, ex signis coctionis dignoscitur, licet animalis sit fatigata ab euacuationibus & symptomatibus quæ præcesserunt. Duo siquidem sunt tantum euasionis modi à morbo, vt Gal. tertio de cris. 9. vel repentè, vel paulatim, quæ repentè fit, crisi cōtingit. Subita enim morbi solutio sine crisi non potest accidere, vt Gal. eodem cap. quæ verò solutio paulatim fit, ob materiæ morbosæ repetitas euacuationes contingit, vt in pleuritide, empyemate, & internis inflammationibus accidere videmus. Falsa verò declinatio est, cum ob imminutionem virtutis morbus imminutus videtur, vt cum vna cum calore naturali, calor febrilis expirat: vt Gal. tertio de cris. 9. & Auer. tertio coll. 9. Vnde ab adstantibus spes salutis concipitur, cùm tamen interea virtus concidat, quòd declaratur pulsuum inordinatione & inæqualitate. Est itaque semper cum virium exolutione: Sicut vera cum earum constantia. At si vires constēt, morbi materia prorsus euicta, separata, & magna ex partè educta, quomodo existimabimus mortem posse contingere? Discernuntur autem à se inuicem quoniam in vera, pulsus sunt æquales,

aliquanto vehementiores, & magis ordinarij. Secus in falſa, inæquales, parui, & inordinati. Accidit quandóque alia diſpoſitio, in qua alleuiari repente æger videtur, neque tamen eſt alterutra declinatio, cum vera ſemper inſequatur materiæ coctionem, & criticas euacuationes, aut vnam, aut plures. Falſa imbecillitatem virium habet adiunctam: vocabitur igitur hæc morbi remiſſio, in qua nihil eſt firmitatis, vt Gal. ſecundo aph. 27. Cùm præter rationem contingat, ad hanc quandóque ſalus, quandóque mors, quandóque recidiua ſuccedit: præcipuè autem id accidit in morbis, qui à diuerſa materia generantur.

In declinatione vero particulari mori contingit aliquando ęgrotantem, cum virtus fatigata vnà cum materia acceſſionis exoluitur, vt Gal. tertio de criſ. nono. Falluntur autem ſæpenumero medici exiſtimantes declinationem adueniſſe, ex vna, aut ex altera vrína concocta, cum oporteat, & ea ſigna perſeuerare: & materiam morbi partim eductam eſſe, quò vera ſit declinatio vniuerſalis, oportet n. criſim præceſſiſſe, vel vnam, vel plures. Certiſſima eſt igitur Gal. ſententia, in declinatione vniuerſali morbi, nunquam quemquã perire. Sola tamen coctio declinationem non facit: vt quarto aph. 22. & primo criſ. 18. Multa in contrarium adduci ſolent, quæ animaduerſione indigent. Sciẽdum itaque quatuor eſſe declinationum genera. Falſa, cum abſque criſi, aut permutatione materiæ ſubito in febre ar-

dente æger videtur quiescere, & alleuiari, vt Auicenna secunda quarti tract. primo capite 92. tunc inquit iudica quòd moritur velociter.

Secunda, declinatio est accessionum, in quibus mori contingit, vt dictum est.

Tertia, est declinatio medici, quæ contingit in phlegmonibus, in quibus materia est concocta, non tamen eiecta ex animalis virtutis imbecillitate, nam vt dicit Nasis quarto contin. cap. 3. fol. 85. col. secunda, vbi expulsio fit à virtute naturali, concoctio sanitatem pronuntiat, quoniam virtus quæ potuit concoquere, sufficiet etiam expellere. At vbi per voluntariam virtutem, quod concoctum est debet expelli, sæpè coctioni mors succedit, & est ad id exemplum à Galen. positum primo acut. 27. de eo qui concocta materia morbi lateralis, ex esu lentium cum aceto mortuus est.

Quarta declinatio est vniuersalis & exquisita, in qua nunquam contingit ægrum mori, nisi ex errore in victus ratione: vt Gal. 3. cris. nono sub qua tamen & aer pestilens, & accidentia animi comprehendi debent: quod quidem pestis tempore solet contingere, dum superatis prioris morbi humoribus, alij inficiuntur, & est noua morbi causa quę occidit.

Quomodo tempora vniuersalia feb. cognoscantur.
Cap. XVIII.



Ebrium putridarum vniuersalia tempora pluribus signis dignoscuntur, quæ breuiter explicabo, verum hoc primum intelligendum est, tempora omnia morborum æstimari statu cuiusque morbi, vnde præcipuè victus rationis norma pręscribitur: vt primo aph. 9. & 3. de cris. 5. vnde etiam crises colliguntur.

Cognoscuntur itaque tempora febrium ex propria cuiusque specie, motu, magnitudine, viribus ægrotantis, ætate, temperamento, anni tempore, pulsibus, rigoris longitudine, accessionum anticipatione, & earum perseuerantia species morbi ex propriis signis cognoscitur, magnitudo, ex eorum vehementia, motus verò ex longitudine partium accessionis, vt 3. de cris. cap. 4. Quo enim ex calidiore & tenuiore materia genitæ fuerint, quo celerius ad magnitudinem mouentur, & partium accessionis longitudinem, quo firmiores vires, quo plus caloris, temperatura, ætas, anni tempus sortita fuerint, quo maiores, celeriores, & frequentiores pulsus, quo breuiores rigores, quo anticipationum maior excessus, præsertim vna cum incremento symptomatum, (nam ex sola anticipatione incerta esset augmenti significatio, cum aliquæ febres per-

petuæ

petuæ anticipent: vt primo de crif. tertio) quo longiores acceſſiones, eo celerius ſtatum acceſſurum eſſe conſtabit, vt tertio de criſi, quarto, ſicut ſi his contraria contigerint, longiora fore morborum tempora, & ſtatum ſerius acceſſurum. Sicut etiam ex acceſſionum poſtpoſitione, vna cum ſymptomatum remiſſione declinationem arguimus, cum alioquin ſola poſtpoſitio declinationem non indicet: quod aliquæ ſint eius conditionis feb. vt eodem capite 3. Galenus.

Verùm quæ tempora in febribus putridis maximè animaduertuntur, ex ſignis coctionis indicantur. Nam cum triplex ſit principij ſignificatio, vel inſultus prioris acceſſionis indiuiſibilis, vel prima acceſſio, vel quæ ſignis coctionis manifeſtis determinatur: huius tantum poſtremæ habetur ratio vt primo de criſ. cap. 6. & 8. augmentum melioribus ſignis, ſtatus optimis diſtinguitur, aut in perniciofis morbis è contra. Ex quibus colligere licet, quod vt dicit Galenus primo de criſ. 19. & Auicenna prima quarti tr. primo cap. 3. principium cognoſcitur exactius, vbi iam præuenerit. Tunc enim durationis ipſius longitudo perſpicua eſt, cùm primum tantum coniectura colligeretur. Eodem pacto euenit de ſtatu: dum ipſius lõgitudinis ſpacium valde diuerſum ſit pro morborum natura.

De febribus, quæ ab humorum putredine accenduntur, & quomodo intermittentes à continuis differant. Cap. XIX.

FEbrium, quæ ex humorum putredine accẽduntur, duplex est ratio. Nam aliquæ earum sunt intermittentes, aliquę continuę. Intermittentes voco eas quæ prorsus ad integritatem desinunt: sicut continuas eas quę remissionem quidem aliquam caloris accipiunt, verùm ad integram quietem nunquam terminantur, donec omnino cessauerint: rursus intermittentes pro ratione humorum, in quibus accenduntur, diuersæ sunt. Aliquæ enim ex flaua bile putrida excitantur. Aliquæ ex pituita putri. Aliquæ ex humore melancholico. Ex sanguine verò putrido febris nunquã intermittens accenditur: cuius rei causam posterius afferemus. Hæc rursus ab intermissione repetunt. Aliquę tertio die, Aliæ quarto, Aliæ quotidie. Et inde nomina acceperunt, Tertianæ quartanę & quotidianæ febris. Quòd autem hæ febres intermittant, & repetant: causa est quoniam humor, in quo febris accendebatur prius dissoluitur, & euaporat, quam alius putrere incipiat. At quòd ita contingat ratio est, quoniam à venis maioribus in minores, ab his rursus in inania quæ sub cutè sunt spacia transmittitur humor, antequam putrescat, & super sentiencia corpora, vt etiam

iam diximus,ibi putrefcens accenditur,& febrem facit. At paulatim à calore febrili digeritur, & diffoluitur, tum per fudores, tum per vapores occultos,aliquando etiam per vomitum pars eius aliqua reiicitur,vt Galen. docet fecundo de crif.cap. 3. At fimul cum humore putrido calor etiam febrilis euaporat. Vnde fit, vt partes ad priftinam mediocritatem redeant, & febris defınat, tamdiu, donec alia humoris portio rurfus à venis tranfmittatur, quæ denuo putrefcens, nouam acceffionem faciat. Contingit autem citius vel tardius humorem exolui, prout natura humoris fuerit, tenuis, aut craffus, lentus, & vifcidus, aut lentoris expers, multus, aut paucus, & prout ægrotantis vires fuerint imbecilles, vel validæ, & corporis habitus rarior, vel compactior. Hæc enim omnia acceffionum longitudinem, vel breuitatem pariunt. Vt fecundo de diff.feb.tertio & vltimo. Totum auté id tempus quod poft caloris exolutionem & alteram acceffionem interponitur, intermiffionis tempus vocatur. Quod quidem modo longius, modo breuius eft. In quartanis lõgiffimum,in quotidianis breuiffimum. In tertianis medio fe habet modo. Præterea intermittentium omnium proprium eft: vt femper cum aliquo rigore inuadant vt fecundo de crif.tertio. Per rigorem intelligimus eum qui vero rigori, horrori, & frigori communis eft. Nam fi quando cõtingat in febre continua rigorem fieri, id euenit, vel vbi inter-

mittens iungatur continuę: vel vbi in continua febre ardente, naturæ vis excitata humorem in venis putrescentem foras expellat, & per sudorem aut alui deiectionem, aut vomitum educat: quod quidem concocta iam materia & crisis instante tempore solet accidere. De hoc rigore dicebat Hipp. 4. aph. 58. à febre ardente habito rigore superueniente solutio. Alioqui febris continua nunquam cum rigore contingit, præterquam inuasionis quandóque primo tempore: vt primo ad Glauc. cap. quinto: Leuis tamen est. Sicut neque cum intermissione.
Vtriusque verò causam afferemus. Primùm autem quare fiat, vt continua adeò constanter perseueret, intermittens autem soluatur, & repetat facilè intelligetur, si modus generationis vtriusque animaduertatur. Is est, quod febris intermittens, fit ab humore qui accessionis tempore à venis extra venas transmittitur, vbi iam conditionem aliquam ad putredinem præparantem acceperit. Transmittitur autem in musculos, & in vniuersum corporis habitum. In continuis autem humor à quo febris accenditur, in vasis putrescit, donec prorsus exoluatur, aut vi naturæ, aut medicamenti eiiciatur. At qui dispersus est humor faciliùs dissoluitur, quam qui in vnum congestus. Sicut aqua si in planitiem soli proiiciatur, faciliùs exiccatur, quam si in vase aliquo contineatur. Idcirco cum intermittentis materia per musculos diffusa sit,

tandem vi caloris attenuata, per ſudores emittitur, & ſimul calor qui continuo accendebatur, nondum erat ſolidis partibus impreſſus, neque adhuc factus, ſed vt dicunt in fieri, vna cum humore exhalat. Humor autem per ſudores emittitur, cum non poſſit tanta materiæ copia ſolis vaporibus exolui. Hoc inde declaratur, quòd febres illę in quibus nullus ſudor emittitur, vt iis contingit, qui per impatientiam ſudorem non ſuſtinent: longiorem habent acceſſionem, & ſecundam celerius repetentem, & frequenter in continuam degenerant, ob materiæ putridæ retentionem. Cuius cum aliqua portio in venis retineatur: aut in ipſorum oſculis, recurrit ad maiores, & humores putredini iam paratos inficit, & corrumpit, à quibus febris continua accenditur. Hoc etiam ex quotidiana perſpicuè deprehenditur, quæ in veram infebricitationem non deſinit, quòd in ea parua humoris quantitas per ſudores emittatur, ideo acceſſio poſt ſex horas repetit. Præterea venarum & arteriarum tunica denſior, & ſolidior eſt, quam muſculorum ſubſtantia, his enim meatus ampliores ſunt, quibus facilior fiat euaporatio. Accedit quod in vaſis aliquis ſemper humor eſt, vel putrido humori commixtus eſt, vel ipſi contiguus, qui paulatim ad putredinem diſponitur ad quem ſerpens putredo, acceſſionem fouet. Eſt & alia ratio, quam adducit Auicenna, prima quarti tr. ſecundo capite primo quod amplior, breuior, & facilior ſit via à venis

ad cor, ita vt facilè sit putridos vapores transmitti & accessionem produci. Hæ sunt causæ febrium continuarum, & intermittentium.

Quod autem rigor solis intermittentibus contingat hinc fit.

Vbi humor à venis in musculos transmittitur, cum is ad putredinē dispositus sit, partes sentientes malè afficit: vnde innatus calor refugit ad intimas partes, & sic accidit vel rigor, vel horror, seu frigus, vel perfrictio, pro humoris natura qui effusus est, vt 4. aph. 63. Cum autem in continuis febribus humor in vasis concludatur, non contingit aliquis rigor, nisi fortè eueniat, vt sæpenumero videmus, aliquam humoris portionē è venis emitti, & tunc iungitur intermittens continuæ. Hoc autem duobus modis potest accidere. Nam vel quod febris vna iungatur alteri, & vtraque sit eiusdem generis, vt tertiana continua intermittenti: aut vtraque diuersi generis, vt tertiana intermittens quotidianæ continuæ. Ex quibus fiat semitertiana: vel vt dicit Stephanus, quod cum materia non possit tota in vasis contineri, sed eius aliqua pars è venis excidat, ea moderatum rigorem facit, vt etiam dicit Gal. primo ad Glauc. quinto: cùm tamen alioqui febris sit continua, & portio tenuior est, & acrior, & parua, faciliúsque eiicitur. Quæ verò crassior est, non tam facilè potest expelli, præsertim vbi obstructi sint meatus. Erit igitur continua febris cum rigore, non tamen qua continua est, sed quatenus mixta ex continua & intermittente.

Humor enim qui in vasis clauditur, nunquam rigorem generat. Verùm quem ordinem habent febres intermittentes in suis accessionibus, eundem habent continuæ eiusdem generis in suis exacerbationibus. Ita vt cum bilis extra vasa putrescens febrem tertianam intermittentem accendat, eadem bilis si in vasis conclusa putreat, febrem continuam accendit, quæ tertio quoque die pariet exacerbationem. Et continua tertiana dicetur. Similiter si melancholicus humor quartanã generet, idem humor in venis continuã efficiet, quarto quoque die exacerbantem. Eadem ratio est quotidianæ ab humore pituitoso. Exacerbationes autem dicuntur, cũ inclinante priore febre eiusdẽ generis, humor alius nouiter ad locum putredinis deducatur, & putrescens nouam febrem accendat eiusdem naturæ, cuius prior extiterat. Eundem igitur ordinem seruant continuæ in suis exacerbationibus, quem etiamintermittentes ab eodem humore in accessionibus. Et quot sunt intermittentium species, tot etiam erunt continuarum quæ ad intermittentes referuntur, vt secundo de cris. sexto.

Aliquæ tamen sunt febres continuæ in quibus nulla apparet exacerbatio, quales sunt quæ Græcis synochi dicuntur: quo in genere ardentes etiã continentur, in quibus putrilago humoris cõtinua est, & quantũ expirat putredinis, tantum ibidem accenditur contigui humoris: vnde neque nouæ contingunt exacerbationes. Ha-

rum febrium cauſa in amplioribus venis cõtinetur: nec aliò tranſmittitur, putredinem ſubituraā, Sed ibidem tamdiu accenditur, donec à calore febrili exoluatur, & febris omninò deſinat.

Ex quibus humoribus febres generentur tum continuæ tum intermittentes.
Cap. X X.

HVmores, qui in humano corpore continentur, triplicem habent differentiam. Aliqui naturales ſunt, aliqui non naturales, alij præter naturam. Naturales dicuntur illi ex quibus corporis ſubſtantia alitur, qui ſanguinis nomine exprimuntur: & eius partes ſunt. Neque enim ſimplex quædam eſt ſubſtantia ſanguis, ſed multas differentéſque habet partes, ſicut lac. vt ſecundo de elem. cap. 2.

Non naturales autem ſunt, quibus corpus quidem non nutritur, tamen aliquam præſtant vtilitatem, vt ſecundo de falc. naturalibus nono, ſunt autem quædam eorum quæ in ſanguine continentur recrementa, ita dicta, quòd neque naturales ſint, neque, prorſus pręter naturā. Hęc propria quidem habent receptacula, aliqua tamen portio ſemper cum ſanguine defertur, vel ob immodicā ipſorum quantitatem, vel ob obſtructionem partis recipientis, aut imbecillitatē,

quòd quidem intelligitur facile ex vtraque icteritia, herpetibus, ſcyrohis, œdematibus, qui affectus ſepenumero fiunt ab emiſſis humoribus ex venis totius corporis, in locum determinatum vbi enim bilis in venis cõtineatur, ſi non putreat, eáque copioſa ſit efficit icteritiam: ſi putreat, febrem tertianam continuam, vel cauſum.

Horum cuiuſque multæ ſunt differentiæ. Nam bilis quædam eſt pall ida, ſeroſo excremento diluta, & idcirco ſubſtantia liquidior, à calore ita denominata. Altera eſt flaua, quæ cùm ſincerior ſit, & magis excalfacta craſſior eſt. Hæc rurſus ſi magis aſſetur, aut ſi, vt ſentit Auic. craſſam pituitam admixtam recipiat, vitellina vocatur, vt in libro de atra bile, cap. 2. & 2. de facul. nat. cap. 9. Hæ omnes bilis ſpecies in hepate & venis fiunt. Vitellina tamen præter naturam eſt, 2. de fac. nat. cap. 9. Eſt etiam quædam bilis ſpecies, quæ rubra dicitur, quæ ad tenuem ſanguinem conſiſtentia proximè accedit: ſed quoniam non coït, idcirco bilem eam appellant, vt in lib. de atra bile cap. 2. Præter has ſunt aliæ, eruginoſa, praſſina, ſeu porracea, à colore, & iſatoidis à colore iſatidis, quę cęſium colorem refert, & eſt glaſtrum herba. Hæ ſpecies in ventriculo generantur, vt in libro de atra bile cap. 2. &. 2. de temper. 6. at 2. progn. 39. quandóque ait Gal. generari in venis, in ventriculo quidem à cibis calidis, & praui ſucci, in venis autem, ex morbo aliquo, & per aduſtionem: vbi etiam affirmat has eſſe præter naturam.

Pituitæ ſpecies ſunt vitrea, dulcis, quæ plerum-

que excreatu expuitur, acida, ſalſa, quæ fit aut ob admixtionẽ ſalſæ ſeroſæ humiditatis, aut putred. vt 2. de diff. feb. 6. pituita dulcis, naturalis eſt: ſalſa verò præter naturam, ſicut etiã acida, & vitrea, quæ minus quam acida frigida eſt, 1. de fa. nat. 9.

Similiter melancholiæ, præter eam quæ ſanguini commiſcetur, & veriùs ſanguis melancholicus dici debet, quę melancholia, eſt ſpecies quædam, quàm Gal. in lib. de atra bile cap. 3. nigram vocat, in vtriuſque medio poſitã, quæ neque ſanguis niger dicitur, eo quod non concreſcit. Hæc ſæpè & euomitur & deiicitur. Gal. vocat nigra excrementa. Præterea eſt atra bilis, quæ ex huius humoris atri aſſatione, aut bilis, generatur, vt Gal. ibidem. An verò pituita aſſata vertatur in humorem melancholicũ, dubiũ eſt. Sed verior opinio eſt, quòd quæ in ſanguine continetur, pituita facile in atram poſſit de generare, quòd actu nõ ſit pituita. Ex reliquis quæ putrida eſt, & quæ ſalſa, per aduſtionẽ in melancholiã degenerare, & ita quartanã poſſe efficere. Quę verò aut inſipida aut dulcis, aut acida, numquam.

Commune autẽ eſt omnibus ſuccis non naturalibus, vt non cõcreſcant, ſicut ſanguini propriũ concreſcere, vt in de atra bile 2. cap.

Febris igitur omnis cõtinua fit ab humoribus naturalibus, qui in venis aut corde continentur: ſicut intermittentes ex nõ naturalibus. Verũ quomodo aliquis humor ſolus in vaſis putreſcat, aliis non putreſcentibus cũ in eodem loco contineãtur, arduũ videtur. Itaq; quemadmodũ omnibus

ex ęquo humoribus naturalibus auctis fit plethora:ita si aliquis humor vitiosus in corpore augeatur, cacochymia. Fit enim ab humoribus non naturalibus, vt in lib. de plenitud. cap. 11. Quòd si humores naturales inclinẽt ad alicuius humoris naturã, ab humoris illius qui abũdat copia, denominatio sumitur, vel biliosi, vel pituitosi, vel melancholici. Quouis autem horũ putrescente, fit febris continua, vel quotidiana, vel tertiana, vel quartana, prout humorum aliquis cuius maior sit copia, putruerit, cum quo nihilominus humore, aliquæ sanguinis contigui partes vnà putrescunt. Sed cum maior sit eius humoris copia, vt bilis putrescentis, biliosa febris erit, & manifestos motus bilis habet: sic si pituita, aut melancholia putreat in venis. Nam humor sincerus in corpore vix potest reperiri. Sicut etiam videmus tumores à simplici humore vix contingere, sed semper admisceri alium, aut plures. Quòd si reperiatur, in venis non continetur, denominatio tamen à superante humore sumitur. Hoc affirmat etiam Auer. 3. col. cap. 4. & Tunf. 3. artis parua com. 38.

Ex humoribus autẽ non naturalibus intermittentes generantur: qui cum sanguini commixti nõ sint, faciliùs excludũtur è vasis. Quòd si quãdo in venis putrescant, exquisitiorem efficiunt febrem, & vehementiorẽ, & cum grauioribus symptomatibus, sicut si causa fiat à flaua bile non naturali, acrior est quam si à naturali: hoc est ab ea quæ in sangnine continetur. Eóque illa actu bilis est, hæc tantum biliosus sanguis, qui

cum ad bilis naturam accedat, & sanguini mixtus sit, reliquo ab eo etiam temperatur. Ideo iubet Auic. tr.2. primæ fen. 4. cap. de cura causi, vrinas inspici: si rubeæ sint, an tenues, & flauæ. Nam si rubræ, iubet sanguinem mitti, quia signum est factam febrem à sanguine bilioso: si flauæ & tenues, nequaquam, quia indicium est à bile retorrida febrem esse genitam.

Quòt modis contingit febres complicari. Cap. XXI.



OMplicātur febres pluribus modis. Aut enim iunguntur sæuis symptomatibus, vt Gal.12.Meth. primo: aut aliis morbis quibus succedunt, vt inflammationibus, quorum etiam symptomata esse videntur. vt 7. Apho.43.primo ad Glauc.cap.3.& primo de diff. feb.vlt. Aut cùm aliis febribus miscentur, & cōfunduntur, vel complicātur. Differt enim mixtio à complicatione. Misceri dicuntur cùm eadem hora vtraque accessio inuaserit, complicari, si diuersis horis vtráque accesserit: vt 2. de cris.9.& 2. de diff.feb.7.contingit autem complicatio, vbi febres iunguntur aut diuersorum generum, vt si hectica putridæ connectatur, aut quæ diuersæ inter se sint genere subalterno, vt si putrida continuæ intermittenti, aut si diuersa specie sint, vt tertiana quartanæ, vel tertiana quotidianæ, quòd frequentiùs solet euenire. Ex qua complicatione fit semitertiana febris, quæ quatuor modis potest accidere: Nam aut complicatur quotidiana con-

tinua, tertianæ continuæ: aut intermittens, intermittenti: aut tertiana continua, quotidianæ intermittenti: aut quotidiana continua, tertianæ intermittenti: & hæc exquisita est semitertiana: vt testatur Gal. 2. de diff. feb. 7. Complicantur etiam febres eiusdem speciei, vt si plures tertianæ, aut quartanæ iungantur. Harum omnium accessiones, vel miscentur & adulterantur, vel complicātur. Est & aliud commixtionis genus, quòd ad humores tātum pertinet, cùm ex duobus humoribus simul coëuntibus fit tanta confusio, quæ vnam tātum humoris speciem mixta constituat: vt si crassa pituita flauę bili commisceatur, ex qua putrescente, febris quidem sola tertiana excitetur, sed ita notha, vt vtriusque humoris commixti naturam, & symptomata confusa referat. Vel si aliquo modo ex pluribus humoribus vna febris generetur quæ idcirco notha dici debeat, quòd vnius tantum humoris naturam non præ se ferat, vt posteriùs dicetur. Continua autem numquam contingit, alteri continuæ complicari: Causa iam adducta est, cùm fieri non possit, vt simplex aliquis humor in venis putrescat.

De rigore horrore, & frigore. Cap. XXII.

FEbrium omnium intermittentium accessiones, Frigus, vel horrorem, aut rigorem inducunt: vt testatur Hipp. 4. Aph. 63. & Gal. 2. de diff. feb. primo. Fiunt autem hæc sym-

ptomata cùm materia antequam febris accendatur, è venis in ſentiẽtes corporis partes defertur: ob cuius infeſtam qualitatem innatus calor retrahitur, & quandóque ſolum frigus in exterioribus aut extremis partibus, quandoque horror in tota cuté aut rigor in vniuerſo corpore excitatur, pro humoris qui effuſus eſt natura. Si enim neque admodum frigidus, neque admodum calidus, aut inſigniter vitioſus ſit, in partes ſentientes delatus frigus tantum inducit partium extremarum: idque aut maius aut minus, prout calor magis aut minus ſeſe ad internas partes retraxerit. Quod ſi humoris qualitas adeo excedat, vt non ſolum caloris fiat in viſecera retractio, ſed etiam regreſſus contendat infeſtantem humorem exprimere, tunc cutis contrahitur, vt ſimilitudinem referat cutis anſerum deplumatorum: Mouetur inſuper & concutitur, reliquo non moto corpore. Hunc motum horrorem vocant, qualis eſt qui in principiis quotidianarum, & quandoque quartanarũ ſolet accidere. Quod ſi humor qui è venis emittitur calidus, acer, & tenuis ſit, qualis eſt bilis ſincera, ingentem affert moleſtiam: & idcirco rigorem inducit, quo mẽbra omnia & totum corpus concutitur, adeo vehementer quandoque, vt vnà cum corpore cubile etiam ægrotantis quatiatur. Sic itaque differt horror à rigore, vt lib. de rigore cap. 6. & 2. de cauſ. ſymp. cap. 5.

Fit etiam rigor ab humore frigido, cùm repente per ſentientia membra feratur, à cuius infeſta qualitate calor innatus refugiens, in viſcera retra-

hitur, quem deinde concussione totius corporis nititur excutere: verum quo magis molestus est humor, quo acrior, quo tenuior, quo vehementius fertur, eo fortior conatus ad expellendum, & validior rigor. Hæc omnia bilioso humori potius quam frigido contingunt, & eo etiam magis, quo vires validiores fuerint, idcirco fortiores rigores in tertianis exquisitis solent accidere, debiliores in nothis. Hęc symptomata vnà cùm principiis accessionum solent cõtingere febrium intermittentium.

Quomodo febrium accessiones per circuitus repetant.
Cap. XXIII.



QVur variis temporum periodis febres repetant, non vnà ab omnibus causa esse censetur. Gentilis in quęstione de prolongatione febrium, refert causam in proprietatem humoris, relatam ad calorem naturalem, à qua fit vt bilis 3. quoque die, melancholia quarto: Pituita quotidiè ad putredinem moueatur: si ea apta sit ad putredinem deduci, quæ proprietas sequitur propriam formã & naturam huius vel illius humoris. Quam etiam opinionem sequutus est Thomas de Garbo, & alij quidem, cuius hanc præcipuam afferunt rationem, quòd determinati effectus, oportet esse causam determinatam, & certam, at causa humoris, hoc est, quæ determinata sit, alia esse non potest quam aut humoris forma, aut proprietas

quæ ipſam inſequitur, cùm quæ ex qualitate aut quantitate humoris & partium diſpoſitione ſumitur, determinata eſſe non poſſit, ſed varia, & multiplex, ergo neque verior huius effectus cauſa poteſt aſſignari.

Sed hæc opinio licet fucata ſit quadam veriſimilitudine, tamen à veritate abhorret: quoniam motus humoris ad putredinem contingit à principio extrinſeco, à facultate ſcilicet expultrice partium, quæ ab infeſta eius qualitate irritatæ, ipſum expellunt, modo extra venas, & fiunt acceſſiones: modo à venis maioribus in minores, & contingunt exacerbatione, ſvbi enim aut in omnibus venis aut maioribus putreſcunt humores, tunc neque acceſſio, neque exacerbatio vlla poteſt contingere.

Hugo verò arbitratus eſt hanc opinionem abſurdam, eò quòd exiſtimet non poſſe fieri periodos à forma ſeu proprietate humorum: cùm nulli appetit⁹ ſeu inclinatio ineſſe poſſit ad putredinem. Et idcirco ait, acceſſionum periodos contingere ab innata reſiſtentia humorum ad putredinem, quæ cùm in diuerſis diuerſa ſit, pro eorum cuiuſque natura, idcirco diuerſi accidunt in febribus periodi: huius opinionis fuit, Arculanus & alij poſteriores multi. Sed hæc etiam opinio abſurda eſt, quoniam ad locum putredinis non impellitur humor ex ſuapté natura, ſed quod expultricem facultatem irritet: At acceſſio non cõtingit, niſi tranſmiſſo humore, non ergo ab eius reſiſtendi proprietate: ſed tum à partium irrita-

meh-

mento, tum à materiæ vitio humorem transmitti contingit, ad locum putredinis.

Galeni autem sententia hæc est secundo de feb. vltimo, quòd cum materia ex qua febris generanda est, tantùm vitij contraxerit in qualitate & quantitate, vt iam à partis in qua continetur natura ferri non possit, ipsa ad eam expellendam insurgat, aut à venis extra venas, vbi à natura destituta putrescens accendatur, & accessionem faciat, aut quo longius potest, & in venas minores, vbi putrescens exacerbationem parit. At cùm expulsa materia cõtingat plerũque eandem causam adhuc superesse, à qua prior & genita, & collecta fuerat similis priori, alia rursus eodem temporis spatio generatur, & colligitur: quæ vbi tanta sit vt excretricem facultatem possit irritare, iterum ea expulsa ad locum vbi prior putruerat, altera fiet accessio: tũ quod putridis excrementis commiscetur, tum quia minimè difflatur: idque toties contingit, donec partium dispositio & humoris vitium perstiterit. Partium dispositio duplex esse potest, imbecillitas, & obstructio. Humoris vitium, in qualitate & quantitate positum est. Id comprobat Gal. multarum excretionum exemplo, alui, deiectionum, menstruarum purgationum, ophthalmiæ, podagræ, & similium affectuum.

Verùm sicut neque semper eadem est partium dispositio, aut idem quod colligitur excrementium, ita neque eodem temporis spacio cumulatur.

Galeni s[ente]ntia

Quare autem fiat vt pituita quotidie flaua bilis 3. quoque die, melancholia 4. colligatur, & putrescens accendatur, non planè Gal. explicat. Idque fortassè operam nostram apud vos desiderare videtur.

Quæ sit Galeni sententia de diuersitate periodorum in febribus. Cap. XXIIII.



Vamdiu corp⁹ integra sanitate fruitur, nullum vspiam colligitur excrementum, quod in aliam partem transmitti possit: cùm vnum quodque in propria vasa ad id munus à natura destinata, nulla obstructione interposita, aut partium imbecillitate impediente recipiatur. Sed & quæ per angustos & inconspicuos cutis & corporis meatus fit expiratio, adeo libera est, vt nihil relinquatur quod excretricem facultatem possit irritare: cum vna quæque pars suo munere oportune fungatur.

Vbi verò vel virium imbecillitas, vel vasorum obstructio accesserit, vnde consuetæ purgationes impediantur, excremẽta paulatim colligi necesse est, quæ partis vim expultricem stimulantia, in debiliorem locum pellũtur vbi vel fluxionum vel inflammationum, vel febrium causæ futuræ sint: rursusque congesta, & expulsa, denuo eundẽ affectum pariant. Idque certa interualli periodo, toties alternis vicibus repetatur, donec reseratis obstructionibus & emendata partium imbecillitate, recentiores excrementorum causę defierint

Colligunt præterea, vbi præter adductas causas, partium intemperies accesserit, aut vbi in victus ratione insigniter peccatur: Vnde max. excrementorum copia generetur: quibus similiter aceruatis & expulsis, pares affectus contingunt, donec castigata victus ratione & partiũ emendata intẽperiẽ, horũ generationis causæ cessauerint.

Verum contingit aliquando vt sublatis etiam causis, quas modo memoraui, repetant febrium accessiones, aut exacerbationes: vbi ex priore accessione, vnà vel pluribus, excrementa in parte aliqua retineãtur, à quibus eius vitiata temperiẽ, alimentũ male confectum, in similem priori materiã conuertatur, vt innuit Gal. 4. Aph. 63.

Quòd autem bilis 3. quoque die, melancholia quarto, pituita quotidie, ad locum putredinis transmissa putrescat, & febrem excitet, nondum planè constat, causa tamen ex iis quæ modo diximus potest elici, iuxta Gal. sententiam.

Quòd partium excretricem facultatem irritat, est vel humorum vitium, vel immodicè aucta quantitas. Humorum vitium, tum ad ipsorum qualitates, tum ad substãtiam pertinet. Ad qualitates quidem, si admodum calidi, aut frigidi, si acres aut mites: ad substãtiam verò, si tenues, aut crassi, vel viscidi. Quantitas immodica duplici nomine molesta est, tum quod sua mole sensum grauitatis partibus inferat, tum etiam quod ad eã maior qualitatum extensio, & ab eis maior actionis vis in sequatur. Vt si maxima sit frigidi humoris copia, corpus quoque magis refrigerari cõtin-

get. Similiter quoque in cæteris qualitatibus. Sẽper enim quòd maius quantitate eſt, maiorẽ quoque agendi facultatem habet, quam quod minus: ſi modo vtriuſque par ſit qualitatum intenſio.

Quantititatis immodicæ humoris alicuius duæ ſunt præcipuæ cauſæ, viſcerum intemperies, & aſſumpti alimenti natura: ſicut enim à temperato calore, & ingeſti alimenti mediocritate naturales humores probe generantur, ita ſi aut viſcera à propria temperamenti mediocritate receſſerint, aut quæ aſſũpta fuerunt alimenta, ſubſtãtia, aut qualitate vitioſa ſint, non naturales humores generari contingit. Ex quibus tandem putreſcentibus, febris excitatur. Verùm neque par omnium eſſe poteſt humorum quantitas, cuius rei cauſa eſt, tum caloris menſura: tum humoris materia. Pituitæ igitur plurima copia breui tempore generatur: non modo vitio ventriculi, ſed etiam totius corporis, vbi ſcilicet ab imbecilliori calore concoctrix facultas langueat.

Quicquid enim alimenti inconcoctum relinquitur, in crudum humorem tranſmutatur, qui pituita eſt. Relinquitur autem plurimum, vbi vel ventriculus, vel hępar, vel vniuerſus corporis habitus frigida intemperie afficiatur: aut vbi cibus concoctu difficilior ſit, aut eius immodicam copiam calor ventriculi ſeparare non poſſit. Accedit, quod frigidior intemperies & imbecillis calor, paucam eius humoris ſubſtantiam diſcutit. Quare fit, vt multa in venis omnibus, tum verò maximè in ventriculo contineatur. Neque ita-

que mirum esse potest, vbi tanta materiæ copia genita sit, huius portionem aliquam aceruari, quæ partium facultatem sua grauitate stimulet, à quibus in partes imbecilliores tran smissa putrescat: & accessionem faciat. Rursusque breui temporis spacio, parem humoris quantitatem accessuri, quæ irritata partium facultate ad eadem loca trāsmittatur: vbi prioris materiæ reliquiis cōmistus, facile accendatur, & secundam faciat accessionem. Quin & ob humoris lentorem aliquid post accessionem relinqui quod etiamnum, soluta febre, fuliginosos aliquos vapores ad cor emittat. Vnde quod intercurrit spatium non omnino febre vacare videatur. Hæc causa est quod pituitosæ febres singulis diebus repetant, sitque earum angustum intermissionis tempus, neque id omnino à febre liberum.

Prima autem est, flauæ bilis quantitas si ad pituitam comparetur, cuius rei causa duplex est, caloris intensio humorem generantis, & materia ex qua generatur substantia. Calor à quo bilis efficitur acris est, & immodicam siccitatē habet adiunctam, materia verò pinguis est, & tenuis substantiæ, aereáque & ignea, ita vt facilè sit præ tenuitate substantiæ ab acri calore & igneo plurimam eius partem in ipsa generatione attenuari, & in fuliginosum humorem conuerti, & discuti, & paucam relinqui, ex qua bilis flaua generetur. Hinc fit, vt bilis non naturalis conceptaculum paruum etiam à natura factum sit. Melancholicus autem humor longè omnium minore copia

generatur. Cuius rei ratio est, quod naturalis est, & veluti sanguinis fex in iecinore, ex crassiore, & terrea materia efficitur alimenti, quòd in ventriculo fuerat confectum: quam quidem admodum paucam esse necesse est. Nã quæ crassissima est, retinetur, & in intestina detruditur. Eam verò quæ per venas attrahitur ad hepar, succosam esse oportet, & paucissimam terreæ substantiæ portionem habere: secus enim quomodo per angustos venarum meatus efflueret? Quod igitur reliquum est crassioris humoris & terrei, ab eiusdem caloris acrimonia exsiccatum, in melancholicum humorem conuertitur.

Quæ verò melancholia nõ naturalis est, quam etiam bilem atram appellant, ex aliorum humorum assatione seu putrefactione generatur: quibus incineratis, in eum humorem mutatur, eiusdem acrioris caloris opera, quem ad bilẽ flauam generandam opportunum esse diximus. At consentaneum est minimas esse reliquias humorum terrestres, quæ ex assatione supersunt, vt inquit Galen. secundo de differen. feb. vltimo eo quòd in earum substantia humidum elementum dominetur.

Cùm igitur longè minor sit flauę bilis, quam pituitæ copia, licet ea acris sit, mirum esse non debet si longiore egeat tempore, vt tanta colligi possit, quæ partis in qua colligitur substantiam lædens, ad sui expulsionem irritet, & transmissa accendatur, & accessionem faciat, quod quidem tertio quoque die contingere videmus,

cum id temporis ſpatium ad eos motus abſoluendos conueniens videatur.

Eadem quoque ratio eſt, quur longiſſimæ ſunt febrium periodi quæ à melancholico humore generantur: Longiúſque ſpacium præ cæteris ad ſui cumulationem is humor requirit. Ob id quartò quoque die febres quæ ab eo accenduntur, ſolent repetere.

Hæc eſt diuerſitatis periodorum ratio, iuxta Galeni ſententiam, nec alia poſſe afferri videtur. Scio tamen pleróſque rem totam in humoris naturam referre. Sed neque ea cauſa quæſito ſatisfacere uidetur, neque ſi exactè animaduertatur, alia ratione poteſt applicari vt difficultatem explicet.

Iamdiu verò eadem periodorum ratio perſeuerat, quamdiu & partium diſpoſitio eadem fuerit, & decumbens humor priſtinam conditionem ſeruauerit.

Vnde contingant acceſsionum anticipationes, & poſtpoſitiones, ordo, & ordinis perturbatio. *Cap. XXV.*



Cceſſionum autem anticipationes & poſtpoſitiones ab oppoſitis cauſis ſolent accidere. Si enim breuiore tempore multa colligantur excrementa, quæ ſua qualitate moleſtiam partibus inferāt, breuius fore tempus intermiſſionis oportet, & acceſſionem anticipare. Si verò aut decreſ-

cente humoris quantitate, aut mitigata malitia, ſerior fiat ad partes tranſmiſſio, longius interuallum futurum eſſe & acceſſionem poſtponi. Quare meritò euenit vt plerumque anticipatio augmentum, poſtpoſitio omnibus in melius cedentibus morbi declinationem oſtendat, vt primo de criſibus cap. 3.

Acceſſiones autem longitudine differentes ſunt, tum earundem febrium, tum diuerſarum, vtriuſque enim eadem ratio communis eſt: Nam plura frigidiora craſſiora, & lentiora excrementa longiores acceſſiones generant, ſicut pauciora & & calidiora & tenuiora breuiores, ad id præterea non parum confert corporis conſtitutio, & virium robur. Corpus enim tranſpirationibus peruium, breuiores, denſum, longiores facit. Eadem quoque ratione virium robur breuiores, imbecillitas longiores, quod enim validius eſt, id à ſe faciliùs lædentia expellit, præſertim vbi non adſit meatuum anguſtia: ita fit vt omnibus ſimul conſpirantibus breuitatis, aut longitudinis cauſis, longiſſima, vel breuiſſima fiat acceſſio.

Perturbatur etiam quandóque acceſſionum ſeu exacerbationum ordo. Id autem præcipuè ab aliqua harum cauſarum contingit, vel ob humoris commutationem, vel ob deprauatam victus rationem, vel ſi ex aliis partibus nouus humor ad putredinis locum confluat, vt ſecundo de diff. febr. vltimo: commutatur humor, aut ob putredinem, aut ob humoris aſſationem. Ob putre-

dinem quidem, vt in ſanguine contingere Galenus ait, ſecundo de diff. feb. nono, & ſecundo de criſibus decimo ſecundo, Cum eius tenuior pars in flauam bilem, craſſior in atram vertitur. Ob aſſationem verò, vbi febrilis calor humoris ſubſtantiam in alterius naturam conuertit. Quantum igitur humores in ægro corpore mutantur, & in alienam naturam degenerant, tantum etiam circuitiones acceſſionum peruertuntur. Id autem frequenter contingere videmus, vbi febris diutius affligens, humores aſſauerit. Cui etiam frequenter quartana ſuccedit, humore, à quo prius efficiebatur in atram bilem degenerante, vt primo ad Glauc. cap. 5. & primo epid. comm. 2. tex. 75. mutata enim humoris natura mutatur etiam collectionum & fluxionum ordo.

Altera erat cauſa, cum in victus ratione delinquunt ægrotantes. Id autem contingit vel ob eorum impatientiam, vel ob adſtantium indulgentiam, aut ignorantiam. Nam vel copioſius, ingeſti cibi crudos humores, vel natura calidiores & bilioſos accumulant, qui poſtea ob innati caloris deprauationem putreſcentes, febres accendunt, diuerſi generis, prout eſt humoris ab alimentis aſſumptis geniti natura.

Aut vbi qui alius ex aliis partibus deffluens humor reliquiis putreſcentibus admiſcetur, vt docet Gal. 2. de diff. feb. vltimo, facilè enim contingit, vt vbi partiũ præſit imbecillitas ab ignea caliditate vitioſus humor corrumpatur, quod frequentiſſimè illis accidere ſolet, qui à graui

morbo conualeſcentes, vel mediocre peccatum commiſerint, hi enim promptiſſimè à quouis delicto læduntur: dum infirmæ adhuc vires, delicti noxam corrigere non poſſunt.

Ob eandem cauſam fit etiam quandóque vt acceſſionum circuitiones præueniant, aucta vitioſi humoris copia, & totius morbi tēporũ ratio perturbetur: vt ſi ad declinationem properare morbum contigerit, is rurſus incrementum accipiat, & in longius tempus producatur. Sępè etiam euenit vt genitis ob eandem cauſam nouis acceſſionibus, circuitionum implexiones fiant, quæ cum medicis incognitæ ſint, inordinatæ exiſtimentur acceſſiones: dum interea à pluribus cauſis plures circuitionum ordines generantur.

Hæ ſunt periodorum omnium in febribus cauſæ, iuxta Gal. mentem, quam 2. de diff. feb. vltimo cap. ex profeſſo explicauit.

Auerrois opinio de periodorum ratione in febribus, & quibus argumentis Galeni ſententiam impugnet, & nunquid ea opinio conueniat principiis philoſophiæ & medicinæ.

Cap. XXVI.

SCio quidem plurimis hãc opinionem infirmam videri, nec ſatis exprimere horum circuituum exactam rationem: tamen ſi quis elimata oculorum acié rem penitiſſimè introſpiciat, nullam præterea reperiet, quæ peritorum animis ęquè

ſatisfacere poſſit. Nam quæ frequentiſſimè & ab omnibus ferè recentioribus adducitur, in artificioſa prorſus eſt. Dum enim referunt omnem cauſam in humorum formam ſeu naturam, perinde mihi facere videntur, ac ij qui euentuum cauſas ignorantes, vt à graui & longo ſtudio animum leuent, eam in occultas proprietates referunt, cum tamen confugium id adeo promptum cuíque ſit, vt neminem etiam mulierculam, aut ruſticam lateat: qui quæcunque ab eis ignorentur, aut in Deum tanquam immediatam cauſam, aut in rerum latentem proprietatem referunt.

Auerrois tamen 4. coll. cap. 27. hanc opinionem impugnat, & acriter in Galenum inuehitur, dicens hanc aduerſari principiis Philoſophiæ naturalis, & metaphiſicæ, quamuis id non probet, ſed ſolum propriam ſententiam prefert. Ea verò eſt huiuſmodi.

Circuituum omnium in febribus cauſam in calorem naturalē eſſe referendā à quo materiæ pars aliqua, quæ iam à naturali ſtatu receſſerat, paulatim ita præparatur, vt expellatur, & expulſa putreſcat: cùm totam, ſi multa ſit, ſimul præparare non poſſit. Deinde rurſus, pari temporis ſpatio aliam portionem ſimiliter afficit: rurſus aliā, & ex ſingulis materiæ partibus ita affectis, ſingulas acceſſiones generari. Circuituum igitur ratio, à calore naturali ſumitur, in humorē nō naturalē agente: Et eam ob cauſam certas euenire febrium periodos. Quæ enim à natura contingunt, ea certa &

definita esse oportet, sicut è contra quæ natura non reguntur, ea incerta & inconstantia. Vnde fit, vt si febribus accidant inordinati circuitus, prauũ sit signũ, id enim fieri existimat, quod calor innatus materiæ succumbat. Hæc est opinio Auer. quam principiis philosophiæ innixam existimat: Galeni verò sententiam idcirco damnat, quòd periodorum causas referat in affectus præter naturam partium, aut mittentium aut suscipientium. Idque à philosophia omnino alienum esse arbitratur.

Videndum nunc est, num hæc opinio philosophiæ & medicinæ principiis consentiat, & an veram horum affectuum rationem præseferat.

Primum itaque nullam affert causam quod bilis flaua tertianos, nigra quartanos, pituita quotidianos circuitus inducat, quòd præ cæteris in huius quæstionis explicatione desideratur.

Præterea caloris naturalis in vitiosos prorsus humores actio, eò dirigitur, vt eos ad expulsionem disponat: quam etiam concoctionem vocamus, in illis excrementis, quæ ad naturalem statum reuocari non possunt. Cùm in principio febrium putridarum materia omnino cruda sit, alterum contingere oportet, vt vel nulla eius portio per periodos accendatur, vel quæ accenditur actione caloris innati præparata, coctionẽ præseferat, & ita nullum sit futurum febris vniuersale principium.

Insuper innati caloris actio, concoctio quædã

est. At concoctio putredinem arcet, vt in lib. artis med. ca. 89. Quomodo igitur ad putredinem materia disponitur actione caloris naturalis? cum putredo, & concoctio contrariis sibi inuicem facultatibus opponantur, & putrefactio superato calore naturali, ab aliena caliditate, concoctio eo humidum superante, & perficiente contingat? vt Arist. 4. Meteo. cap. 3.

Postremo, cum natiuus calor materiam putrescendam præparat, in qua calor præter naturam cõtinetur, vel ipsum superat, vel ab eo superatur. Aut ex neutrius victoria pugna quædã exoritur: Si superet, coctionẽ inducit, coctio putredinem cohibet. Si superetur, iã non innato, calori id tribuendum est, sed præter naturã: si inter vtrumque pugna ex mutua actione, fieri non potest vt quidquam ordinatum cõtingat, cum omnia tumultuario euentu fiant, vt in crisibus euenire videmus. Quod si dicat præparationem caloris naturalis eò tendere, vt materia faciliùs expellatur, vbi à calore præter naturam excepta putrescat, id quoque rationi consentaneum non est. Nam & si caloris innati opera tanquam instrumento natura humoris expulsionem moliatur, tamen excretricem prius facultatem incitari necesse est, vel materiæ copia, vel vitiosa qualitate, Vnde ordines periodorum contingant: Non igitur à calore naturali, quo solo tanquam instrumento natura vtitur: eodem igitur causa circuituum recurret. Vnde Galenus principia suę opinionis sumpserat, & in eiusdem sententiam in-

cidet, vt etiam animaduertit diligenter Trincauelius.

Nulla igitur verior eſt, aut magis rationi cõſentanea adducitur, ea quam Gal. attulit, quæ etiam ſenſibus innoteſcit. Videmus n. certo tẽporis ſpacio alui excrementa colligi, & expelli mulieribus menſtruas purgationes, quibuſdam etiam hemorroidum, pedum, & oculorum fluxiones, certis dierum periodis contingere: partibus ſcilicet in quibus humores aut excrementa collecta fuerint, aut multitudine, aut qualitate ad excretionem irritatis. Ex his igitur quæ ſenſibus perſpicua ſunt, facilè quoque quę obſcura ſunt poſſumus coniicere.

Quòd ſi quis dicat Galeni ſententiã locũ tantũ habere, vbi nouus humor quotidie, aut à partium intemperie, aut praua victus ratione congeratur, qui ad putredinẽ concocto vitio diſponatur: vbi verò præſit aliqua aut humorũ plenitudo, aut cacochymia, eandem circuituum rationem non cõuenire, eò quod multa iã collecta ſit materia, quæ ad multas acceſſiones accẽdẽdas poſſit ſufficere, & idcirco neque periodorũ occaſio à noua humoris congeſtione ſumi debeat. Huic quoque ex eiſdem principiis reſpondebimus.

Vbi humorũ multa copia in corpore cõtineatur, qui aut ſola quantitate naturæ modũ excedãt aut vitioſam qualitatẽ contraxerint: ſi nihil contingat, quòd aut obſtructionem inducat, aut trãſpirationẽ impediat, hi neque putreſcere, neque febrẽ accendere poſſunt, vt eſt Gal. ſententia 1. de

diff.feb.ca.3.Sed partim vi caloris naturalis concoquũtur, si concoctionẽ possint admittere, partim expelluntur, si eorũ vitia emendari non possint. Quod si à praua victus ratione aut ab externa aliqua causa obstructiones aut prohibitæ transpirationes accesserint: vnde & suppressis calidis vaporibus, calorem innatum necesse sit accendi, & humores partibus graues molestósque effici, tunc eadem quã prius adduximus ratione, partes vt à se molestiam excutiant: in alias infestos humores transmittunt. Si igitur validæ sint earum vires, extra venas extruduntur, vbi putrescentes febrem accendunt intermittentem. Quod si tam procul expellere non possint, in minores venas expellunt, vbi etiam putrescentes continuam generant: certis periodis increscentem.

Quòd si tãta sit humorũ copia, vt neque in minores venas extrudi possit, vel in omnibus, vel in maioribus venis putrescũt, & febrẽ accendũt, aut synochũ, aut ardentẽ: Synochũ quidẽ si æquabiliter in venis humores putrescant, ardentẽ verò, si ad flauæ bilis naturã putrescẽs humor degenerauerit. Necesse est autem totã eam materiã simul putrere, quæ idem vitium contraxerit, & eodem modo ad putredinẽ fuerit disposita, febrẽque ab ea excitari, cuius accessio tãdiu duratura sit, donec qui putredinem subierat humor, consumptus omnino sit, & post vnicam accessionem febrem omnino desinere nisi causa aliqua intercedat, vnde nouis accessionibus fomentum excitetur.

Id verò contingit,si praua quædam affectio relicta sit,vel in toto corpore, vel in venis, tum ab humorum prauitate & putredine, tum à præcedente febre,peior quoque futura, sit obstructio, aut transpiratio,& praua victus ratio accesserint. Ab his enim causis noua rursus materia ad putredinem disponitur,ex optimo etiam alimento assumpto, à qua febris periodi generantur eodem quo paulò ante diximus modo.

Quæ sint differentiæ febrium putridarum.
Cap. XXVII.


Vtridarum febriũ duæ sunt primæ differentiæ. Nam earum aliquæ sunt intermittentes,aliquæ sunt continuæ. De intermittentibus primum nobis est agendum posterius de continuis.

Intetmittentium itaque tres sunt species, quæ iuxta humorum differentias distinguntur, à quibus possunt excitari.

Accenditur autem intermittens febris,vel à flaua bile,vel ab atra,vel à pituita. Ex quibus tertiana,quartana, & quotidiana generantur. Ex sanguine verò intermittens febris non accenditur, cùm si quãdo est è venis egressus putrescat,in bilem mutetur:& idcirco bilis periodos habeat, vt 2.de diff.feb.9.& 2.de cris.12. At in venis putrescens, continentem generat, cuius consideratio ad presens negocium non pertinet. Intermitten-

tes

tes autem febres, si simplices sint, simplices quoque habent periodos, suis temporum spatiis distinctas, si verò multiplices, iam non vna erit periodorum forma, sed multiplex. Vt si tertiana singulis diebus repetentes habeat accessiones: non propterea quotidiana dicitur, cum ab humore bilioso vtráque fiat, & tertia accessio primę, & quarta secundę respondeat, & similis sit, sed duę tertianę vocabuntur. Eadem quoque ratione si plures iungantur quartanæ, duæ vel tres, vel etiam plures, ita vt etiam eodem die plures accessiones inuadant, & speciem continuæ referant, nam semper in his quarta primæ, & quinta secundæ & sexta tertiæ erit similis, & ita alternatim. Hoc autem contingit quoniam quæ sibi inuicem respondent accessiones, ab eisdem membris mittentibus & recipientibus fiunt, & vt dici solet ab eadem minera putredinis: & idcirco insultus sibi inuicem similes & symptomata eadem habent. Rursus aliæ quę ab alia minera pari modo, & ita consequenter de his Galen. copiose egit in lib. de typis & in lib. aduersùs eos qui de typis scripserunt, si libri illi Galeni sint. Hoc enim satis ambiguum videtur.


Finis libri primi.



GVLIELMI GISCAFERII MEDICI BELOCARENSIS ciuis Rom. in Romano Gymnaſio medicinam publicè profitentis, de febrium natura & curatione.

LIBER SECVNDVS.

De tertianæ exquiſitæ cauſis, dignotione, & Prognoſtico. Cap. I.



Actenus quæ ad vniuerſalem febrium cognitionem ſpectabant expoſuimus, ſupereſt, vt de vnaquaque ſigillatim dicamus: quas habeant cauſas, quibus notis indicari, & à ſe inuicem diſtingui poſſint, quibus corporibus, quo anni tempore, & cęli ſtatu, frequentius contingant, quæ prædictionis & victus ratio vnicuíque conueniat, vt ex his

poſtremo quæ remedia ſingulis propria pro humorum conditione & caloris natura, eligi & adhiberi debeant intelligamus.

Cum autem de intermittentibus primum agere decreuerimus, prius intelligendum eſt aliquas earum exquiſitas eſſe, aliquas mixtas, ſeu nothas. Exquiſitæ dicuntur, quæ ab vno & ſimplici tantum humore fiunt quod ſaltem ex ſignis colligi poſſit. Nothæ verò dicuntur, quę non ab vno ſolum humore: ſed ex diuerſis, vt ex ſignorum confuſione cognoſcuntur, à quibus humores indicari ſolent.

Tertiana ergo de qua nobis primùm futurus eſt ſermo, aliqua exquiſita eſt, aliqua notha. Exquiſita dicitur quæ à ſola flaua bile putreſcente generatur, eiuſque tantum ſigna præſefert, licet enim vix contingere poſſit, vt adeo ſincerus ſit humor aliquis putreſcens, quin aliquam vel paruam ſaltem alterius portionem admittat, tamen cum medicus morborum naturas & cauſas ſolo ſenſu indicare ſoleat, eam exquiſitam febrem appellat, in qua vnius tantum humoris ſigna appareant: ſicut notham quæ plurium humorum ſigna confuſa prę ſeferat.

Priore loco nobis de exquiſita, & impermiſta agendum eſt, vt ea cognita faciliùs nothæ quæ ex plurium humorum miſtione fiunt, intelligantur.

Quod autem hęc febris ex humoris bilioſi effuſione ex venis in partes ſentientes accendatur, iam ſatis explicatum arbitror.

Signa igitur nobis afferenda sunt, quibus facilè à vobis dignosci possit.

Signa sumuntur vel ab iis quæ præcesserunt, vel ab iis quæ affectum comitantur, aut quæ subsequuntur. Quæ præcesserunt ad corporis dispositionē pertinēt, vnde morbi causa aceruari possit. Reliqua verò sumuntur aut à substātialiter inhærentibus aut à symptomatibus: motus & qualitas caloris, & ipsius modus, ab iis deducūtur, quæ febrium substantiæ inhærent, vt in actione læsa, exeuntibus mutatis, & mutata qualitate, quæ quidem si ad nos referantur, signa dicentur, quatenus ab eis in morbi cognitionem deducimur, si ad morbum symptomata. Eadem enim res vtrūque est, vt Galenus 1. aph. 12.

Quæ igitur præcesserunt hæc sunt, temperatura calida & sicca, ætas iuuenilis, anni tempus æstuosum, regio similiter calida & sicca, & anni cōstitutio, victus præterea calefaciēs, & exiccās. Ab his n. omnibus copiosa bilis generatur, à qua in hanc febris speciem pronum corpus efficitur: nam, vt inquit Hipp. 3. aph. 19. quidam morbi in quibusdam temporibus magis cōtingunt: eadē quoque est ratio ætatum, & regionū, & temperamentorū ac victus rationis, quam & tempori inesse dixit Hippocrates.

Calor præterea multus adest, acer & feruidus, manui occurrens, cum vapore quodā mordax & deurens, & ardenti febri persimilis: præterquam quod si quis diutius manū cōtineat, mitescere aliquantulū & superari videbitur, secus in malignis

deurentibus accidit, quæ quanto diutius perdurant, grauiores ac molestiores apparent: licet ab eadem materia vtràque febris generetur: vt 2. de cris. 3. cap. cito ad vigorem peruenit, & in omnes æqualiter partes diffunditur, vt nihilo plus thorax extremitatibus caleat.

Tertium signum sumptũ est ex pulsibus, quod ferè pathognomonicũ est. Sunt autem à principio accessionis parui, tardi, & rari, ac debiles, ita vt tarditas ad eum qui secũdum naturam est motum propius accidat. Id autem contingit in omnibus accessionum principiis, quod eo tempore calor innatus in intima refugiat, & sopiatur. Verùm in quartanarum principiis hæc excedere & præ cæteris conspicua esse solent, vt secundo de cris. tertio. Cum autem ad incrementum tendit, pulsus in magnitudinem, velocitatem, & frequentiam celerius, præ cæteris & liberius ascendunt: quòd quidem ex humoris leuitate & tenuitate illi accidit, à quo innatus calor opprimi non potest. Vnde etiam fit, vt nulla in his pulsibus inæqualitas percipiatur, præter eam, quæ febribus propria est, vt 1. ad Glauc. 5. Quæ autem ea sit, non satis constare videtur. Plurimi recentiorum existimant inęqualitatem febrilem dici eam in qua contractio celerior est dilatatione, & hanc esse inæqualitatem in vno motu.

Verùm hãc non esse Galeni sententiã hinc constat, quod (vt dicit 3. de præsag. ex pulsibus cap. septimo) inæqualitas hæc propria est omnium

accessionum principiis, ob fuliginosorum excretionis necessitatem. Verùm accedente iam ad statum accessione, aucta necessitate refrigerii, par fit vtriusque motus celeritas: ergo non semper febribus putridis contingit hæc inęqualitas. Præterea id clare testatur Gal. primo ad Glauc. cap. 6. insuper cap. 5. dicit eam etiam relinqui intermissionis tempore. At tunc nulla est contractionis celeritas, ergo falsa est ea opinio.

Inæqualitas igitur propria febribus est quæ in vno motu & pulsu, hoc est, quod arteria moueatur velocius in motus principio & fine, quam in medio, vt primo ad Glauc. sexto, quod quidem de Diastole intelligi oportere narrat Stephan. huius rei causa est, quòd cum in febribus vtráque necessitas vrgeat, & refrigerij, & fuliginosorum excretionis, quibus vtérque pulsuum motus satisfacit, vbi systole cessauerit, contingit necessitas refrigerij, ideo incipit velociter dilatari, à quo principio dilatationis calor incipit refrigerari, & mitescere refrigerij necessitas, sed incipit iam vigere necessitas euacuationis. Vnde fit, vt citius properare cogatur, vt ad systolem accedat. Ita fit, vt dilatationis motus in principio & in fine velocior fit, quam in medio. Hæc tamen inæqualitas, sicut in tertianis obscurior est, ita in quartanis magis est perspicua. Vnde etiam secundo de cris. cap. 3. dicit tertianam omnis inæqualitatis expertem, eo quòd ea adeo obscura sit, vt vix percipiatur. Verùm, vt etiam alij grauissimi viri testantur, hanc quæ in vno motu con-

tingit, his temporibus à paucis cognoſci exiſtimo.

Quartum ſignum eſt ſitis ingens, & importuna, quę quidem communis eſt etiam ardentibus febribus: cum ab eodem vtráque fiat humore, & idcirco neque proprium tertianę eſt ſignum, niſi addamus, quod vt dicit Gal. 2. de criſ. 3. vbi bibendi tempus acceſſerit, à potu vapor quidam ſtatim incipiat efferri ſudoris nuncius, id enim ardenti febri commune non eſt: bibendi verò tempus, vt poſterius dicemus, eſt cum ad ſummum ſtatum calor peruenerit.

Quintum ſignum ſumptum eſt à tempore ſeu ſpatio acceſſionum, quod quidem horas duodecim non ſuperat. Id enim in exquiſitis tertianis longiſſimum eſt. Quod ſi id tempus exceſſerint, iam nothæ tertianæ dicentur: & ab exquiſitarum natura degenerabunt, eo magis, quo magis exceſſerint. Breuiores quandóque eſſe ſolent, & horis ſeptem, vt 2. de criſ. frequenter terminantur, modo citius, modo tardius, prout humoris copia & natura, aut preſens extiterit corporis diſpoſitio vt Gal. docuit 2. de diff. feb. cap. 3. & nos aliàs explicauimus.

Sextum ſignum eſt, quod vbi febris acceſſio declinare incipiat, ſudor æqualiter toto corpore erumpit vaporoſus, ſimilis vt inquit Gal. ſudori qui in balneis ſolet excitari. Fit autem à putrido humore bilioſo exhalante per cutis meatus, dum vna ſecum humiditates quaſdam in illis meatibus detentas ęducit. Huius humoris pars in ven-

triculum, aliqua declinat, quæ vomitu ſæpenumero reiicitur. Quandóque in inteſtina, & ſoluitur venter: quandóque in renes, & vrina mingitur rufa, & omninò bilioſa. Harũ autẽ excretionũ quælibet erit vberior, prout magis in hãc vel illã partẽ bilioſus humor repſerit. Neq; n. omnes has excretionũ ſpecies cõcurrere neceſſe eſt, ſed modo vnã, modo aliã, ita vt earũ aliqua ſignũ ſit inſeparabile, & ſẽper cõtingẽs. Quod ſi præter hæc ſigna febris ad integrã quietẽ deſinat, iã nulli dubitationi locus relinquitur, febrem hanc eſſe exquiſitam tertianam, neque altera acceſſio expectanda eſt, vt febris idea cognoſcatur.

Præſertim ſi addiderimus quod adducit Gal. 2. de diff. feb. 3. quod cũ in omnibus febribus putridis quædã inæqualitas relinquatur intermiſſionis tempore in arteriarum motu, quæ proprium putredinis eſt indicium, vt 1. ad Glauc. cap. 5. in fine dixerat, in hac adeo obſcura eſt, vt vix percipi poſſit ſequenti die ac noctè pòſt acceſſionem. Primis autem partibus poſterioris diei obſcure cognoſcitur, clarius circa fines eiuſdem diei, vel noctis: & quo magis acceſſionis tẽpus appropinquat, quod quidẽ ex humoris leuitate contingit.

Præter hæc adducit Auic. 1. 4. tract. 2. ca. 37. alia quædã ſigna, quæ neque exquiſitæ tertianæ propria ſunt, neque omnibus tertiana laborantibus neceſſaria: vigilia, dolor capitis abſque grauitate, delirium, ad iram propenſio, amor ſolitudinis: quæ omnia ab eadem cauſa excitantur, nimirum à flaua bile putrida, vaporibúſque ab ea elatis ad

caput. Quibus addit & aliud, feruoris quandóque sensum in hepatis regione. Id autem idcirco euenit, quòd cùm hæc febris (vt iam dictum est) in iis tantùm corporibus soleat excitari, quibus adest maxima bilis copia, & temperatura calida & sicca, præsertim iecinoris, vbi accendatur, biliosum humorem, qui in fellis vessicula continetur efferuere necesse est. Ob id dicebat. Gal. primo ad Glauc. cap. 3. Tertianam sine hepatis vitio vix contingere, sicut quotidianam sine ventriculi, aut quartanam sine lienis affectu.

His itaque signis tertiana exquisita deprehenditur.

Quæ ad prognostica pertinent, hæc sunt primo de morb. vulg. com. 3. tex. 8. inquit Hipp. tertiana exquisita cito iudicatur, nec est lęthalis. Idẽ confirmat Gal. 4. aph. 43. & primo ad Glauc. cap. 8. vbi etiam dixit non prætergredi septimum circuitum, quod quidem prius docuerat Hipp. quarto, aph. 59. cumque ait longissimum esse terminum, & 6. de morbis vulg. sect. 2. ait febres quæ vna die intermittentes altera superrigent, vna cum iudicatione à quinque ad septem circuitus extendi: & licet is textus à Gal. prætermissus, sit in explicatione, tamen passim in codicibus Græcis & translatis inuenitur: sicut & alij ab eodem pręterm issi nõnulli. Verũ 1. li. de coacis pręnotionibus, paulò post principium, ait tertianam exquisitam, in quinque, aut septem, aut ad summum nouem circuitibus iudicari. Idem autem potest in intermittẽtibus accessionis

circuitus,quòd in continuis dies vnus vt eodem 4.aph.59. declarat Gal. Indicationes enim in illis secũdum accessiones fiunt: sicuti ergo in continuis dies enumerantur,in quibus solent iudicia contingere, ita in intermittentibus accessiones. At secundo de cris.cap.3. dicebat quod vbi in exquisita Tertiana vrina rufa existat, si neque suspensio aliqua, neque nebula appareat, ad septimum circuitum extensam iri. Quòd si subruffa, vel subflaua sit,mediocris crassitudinis, & paulò post vel albam nebulam,vel suspensionem optimam fecerit, vltra quartum circuitum non progredietur: Quæ verò primo statim die in vrinis albam subsidentiam leuem & æqualem habet, simplicissima est, neque vltra tertium circuitum producitur.

Initium tamen plerúmque prima accessione finitur,incrementum secunda & tertia, statum ferè habet quarta accessione, hoc est, die septimo, vel nono,ad summum vndecimo:decimo tertio, declinat,atque ita soluitur. Hali 10. suæ Theoricæ cap. 11. ait quod si tertianariis vlcera in labiis fiant, & naribus finis tertianæ febris significatur.

Describitur à Græcis,& Arabibus hęc quasi sit Idea quædam & exemplar sincerioris tertianæ, & simplicissimę,quanto igitur ad hanc magis accedent, tanto manifestiora quæ prædicta sunt signa proferent.

Febris hæc curatu quidem facilis est, tamen si medicorum inscitia, aut ægrorum impatientia

malè curetur, grauiſſima fit, vt docet Galen. exemplo illius ægri cui balneas aluminoſas medicus ineptè perſuaſerat 1.ad Glau.9.

De curatione. Cap. II.


Vratio duplicem habet indicationem. Alteram quæ à febre, alteram quæ à cauſa ſumitur: ſicut omnis febris quæ ex humorum putredine conſiſtit. Febris refrigerationem, & humectationem requirit, contraria intemperiei remedia, à qua actiones læduntur: cauſa euacuationem demonſtrat, licet autem harum indicationum, altera ad curationem, altera ad præſeruationem referatur: tamen cum in febribus putridis vtramque coniungi neceſſe ſit, nec adhuc nomẽ proprium impoſitum fuerit, quod ex vtráque miſtam medici operationem exprimat, vtrũque nomine curationis ſignificamus, vt Galen.2. aph. 22.

In quibus autem febribus nullus humor ſubeſt, à quo intemperies foueatur, vt in hecticis, & ephemeris, vnus tantum ſcopus propoſitus eſt, refrigerandi & humectandi. Horum remediorum applicatio, propria curatio eſt. Ob id Galen. vndecimo, meth. 2. dicebat hecticarum & ephemerarum propriam eſſe curationem. Putridarum verò, curationem iunctam eſſe præſeruationi.

Verùm indicatio quæ à febre ſumitur, ſimplex

eſt,& vnica. Omnis enim febris,vt febris eſt,ſolã refrigerationem, & humectationem requirit: at quæ à materia,multiplex,præparatio,concoctio, viarum reſeratio, & demum euacuatio:

Cauſa autẽ duplex eſt,altera quæ in venis continetur, altera quæ putrens præſentem acceſſionem generat: hæc coniuncta dici ſolet, illa antecedens vocatur,quæ quidem futuri,non præſentis morbi eſt cauſa,ad quam referuntur quæcunque remedia intermiſſionis tempore ſolent adhiberi,venæ ſectio,humorum præparatio, obſtructionum reſeratio, purgatio.

Nam quæ acceſſionem præſentem generat,vomitu,alui fluore,vrinis, & vbi à calore febrili attenuata ſit,ſudoribus, & occultis vaporibus exoluitur. Hæc igitur alterationem, & euacuationem indicat, illam ob caloris exceſſum: hanc ob materiæ copiam, à qua febris accenditur. Harum actionum, altera ad curationem: altera ad præſeruationẽ pertinet. Dum enim cauſa adducitur, præſeruatione vtimur: cum ipſa ſublata, morbum quoque ceſſare oporteat. Verùm quæ antecedens eſt, ad ſolam præſeruationem remedia requirit, cum futuri tantum morbi ſit cauſa: quæ quidem cum vitioſa ſit, corpus neutrum efficit, vt nunc: eadem enim cauſa, morbi qui iam cepit, eſt antecedens, præſentis neutralitatis coniuncta: id autem præcipuè intermiſſionum tempore cognoſcitur, in quo corpus neque propriè ſanum, neque ægrum dici debet, ſed neutrum vt nunc. At ea neutralitatis diſpo-

ſitio, à cauſa morbi antecedente fit. Erit igitur eadem cauſa morbi antecedens, & neutralitatis coniuncta. Præterea vrinæ humorum qui in venis continentur diſpoſitionem indicant, & naturalis facultatis vim. At in intermittentibus febribus antecedens tantum cauſa in venis continetur: quæ paulatim concoquitur & vi naturæ, in criſibus aut medicamenti eiicitur. Vna cum ea, quæ actu quandóque putrida pręſentem morbum facit, vt in continuis euenit. Eadem enim eſt ratio humorum qui in intermittentibus periodicæ acceſſiones generant, & eorum qui in continuis nondum ad putredinem fuerunt deducti: cum vtrique antecedens cauſa earum febrium dicantur, & eandem in corpore diſpoſitionem pariant.

Cæterum accidit ſæpenumero, vt harum indicationum alteri altera contraria ſit, raro, vt vtráque ſimul conſpiret. Contrariantur ſibi inuicem, vbi contraria remedia poſtulant: quod quidem iis febribus contingit, quæ ex frigidis humoribus accenduntur, vt ſi ex humore pituitoſo, & melancholico: in illis enim humor excalfacientia, febris refrigerantia deſiderat.

Conſpirant autem ſimul, vbi cauſa febris indicationem augeat: vt in bilioſis euenire cernimus, in quibus eo magis refrigerandum & humectandum eſt, quo humor ſincerior, & calidior fuerit.

Cũ igitur in tertianæ huius curatione duplex exurgat intentio, altera quę in cauſæ euacua-

tione, altera quæ in corrigenda intemperie consistat, prior & potior est refrigerandi & humectandi, quã euacuandi, cum hæc tum à materia, tum à morbo indicetur. Quod quidem illi cùm cæteris febribus biliosis commune est. Idcirco Gal. primo ad Glauc. cap. 9. ait in hac febre quã maximè esse refrigerandum & humectandum. Verùm hoc est animaduertendum, quòd cum exquisita tertiana his temporibus raro contingat, ob victus intemperantiam, tantum ab illius curatione, quæ antiquis medicis tanquam idea proponitur, euariandum est, quantum ab ea proposita febris declinauerit: vt monet etiam Paul. lib. 2. cap. 20.

Victus igitur ratio sit omninò refrigerans & humectans, ptisana hordeacea alimentis omnibus præstat: conueniunt iuscula oleribus alterata, panis in iure Pulli maceratus, aut mica eiusdẽ in eo friata. Incoquuntur autem olera quæ simili facultate polleant, oxalis, lactuca, endiuia, portulaca, cicorium, cicerbita, pimpinella, cucurbita & similia.

Permittitur quoque volatilium vsus: eorum quibus carnes meliores sunt, vt montanorum, pullorum gallinaceorum, & similium: Et piscium saxatilium, ouorum sorbilium, & omninò quã cæteris febricitantibus liberalior victus, ne nimia siccitate corpus contabescat, modo prospiciatur, ne cibi quantitas cruditates pariat: liberalior tamen victus intermissionis die est opportunus.

Fructus præterea aliqui refrigerantes modicè permittantur, vt pruna cerasa, acidula. Qui verò duriores sunt, aut non humectant, non permittantur, vt Gal. 1. ad Glauc. 9. vt nuces, amigdalæ, pinearum nuclei & similes.

Acribus salsis, & quoquo pacto calorem gustu præseferentibus interdicantur, sicut & cibis omnibus, qui dura sunt substantia: ne cruditatibus morbus augeatur.

Potus, sit aqua decocta, cui iuleb. viol. vel ros. vel syru. acetosus simplex, vel oxisach: vel vinum grauatorum, vel syr. de acetos citri admisceatur: paratur quandóque iuleb ex succo limonum & saccharo, & multa aqua simul feruefactis, clarificatur, & suauissimum est ægrotantibus: admiscetur sacchari tanta portio, vt acorem succi modice corrigat: sola etiam aqua hordei cum iuleb vtiliter exhibetur.

Vino prorsus interdicendi sunt: nisi postquam aperta signa coctionis exactæ apparuerint: id autem sit album, tenue, aquosum: vetus admodum & generosum inutile est, quo etiam tempore iusculis ad misceri oportet quæ poros aperiunt: nam sicut in principio magis conueniũt alterantia, ita celebrata coctione, magis aperientia, vt morbi materia sudoribus educatur. Vsitatæ sunt radices petroselini hortensis aut eius folia, si radicum copia non sit, similiter radices acetosę, cichorij, semina cõmunia maiora, Modo id præcipue animaduertatur, diebus intermissionis valentiora remedia conuenire.

Cibus acceſſionem tribus vel quatuor horis præueniat, nec rurſus priuſquā ſedata vel remiſſa ſit, offeratur: niſi fortè maxima laborantis ſiccitas ob hecticæ periculum alimentum deſideret; tunc enim iuſculis temperanda eſt, vt iubet etiam Gal. 10. meth. 5.

Nota

Aer ad frigidum declinet, motus animi & corporis, & quæcunque calefaciendi & exſiccandi vim habent, euitentur.

Febris huius curatio à materierum communiū euacuatione eſt inchoanda: hæ licet materia febris non ſint, febrem tamen augent. Sunt autem quintuplices, ſanguinis copia venas diſtendens, & earum meatus obſtruens, febrem enim auget tertianam, licet propria febris illius materia non ſit: humores in ventriculo nauſeam excitantes: feces in inteſtinis, aut ſuperfluitates in venis meſaraicis: ſeroſus humor in venis. Vapores ab humoribus ad ſuperiores partes immiſſi & retenti. Sanguinis copia venæ ſectione educitur qui in ventriculo humores ſunt, euacuantur aut vomitu, ſi æger facilis ſit ad vomendum aut leniente pharmaco: Feces inteſtinorum aut venarum meſaraicarum ſuperfluitates, ænemate: Serosi humores, vrinas cientibus: Vapores retenti, reſeratis cutis poris, aut frictionibus, aut elicitis ſudoridus. Harum aliqua neceſſario adſunt in quouis morbo, aliqua quandóque tantum.

Quę verò communes materiæ & excrementa in inteſtinis, venis, meſaraicis, & ventriculo continentur, prius euacuandæ ſunt. Iniiciatur igitur

hoc

hoc vel simile enema, si aluus resistat.

℞ quatuor emollientium herbarum, hordei, an. I. bulliant in s. q. aquæ vt suadet ars, accipe iuris percolati lib. I. ſ. sacchari rubei ℥ij. olei viol. ℥iiij. cassiæ recent. extractæ, ℥j. salis parum, fiat clyster. immittatur ante cibum à melle cauendum, ne in bilem vertatur. Aut si enema recuset, vel magis conuenire videatur, leniens medicamentum, ob alienam materiam, quam in ventriculo contineri iudicauerimus, vt plerumque euenire solet, tale præscribetur.

℞ Cassiæ rece. extra ℥j. syr. viol. sol. ℥j. ſ. decocti cord. q. s. cui addatur tamarindorum ℥i. ſ. fiat potio, sumatur quatuor horis antè cibum, vel hora vna. Vel hoc propinetur. ℞ diapruni. ſ. cassię recen. ex. an. ʒvi. cassia extrahatur cum decocto sem. oxyachātæ græcorum, hoc est berberis, & fiant boli: sumat hora ante prandium.

Vehementer commendatur hæc potio tum ab Auic. & Arabibus, tum etiam à recentioribus plerísque. ℞ vini granatorum musorum ℥iii. vel dulcium & acidorum, singulorum ℥i. ſ. mannæ ℥ii. aquæ ros. ℥i. fiat potio, sumatur in Aurora. Hoc medicamentum conuenit præsertim, vbi vehementia caloris vrgeat. Quod si obstructionis suspicio sit, pro aqua rosarum aqua endiuiæ substituatur, aut succi eiusdem depurati tantundem, vel oxisaccharæ ſ. ℥ij. hoc medicamento lenietur aluus, reuocabitur appetitus, naturalibus partibus robur addetur: parabitur etiam commode hoc pacto.

℞. Pruna numero 8. sebesten p. v. violarum, florum buglossi, & borrag. an. p. 1. tamarindorum, ℥j. infundantur omnia præter flores in aqua tepida per noctem, & mane bulliant omnia simul leuiter, colentur, & exprimantur: iuris percolati. ℞. ℥iiij. syr. ros. sol. ℥i. s. vel pulpæ cassiæ ℥i. misce fiat potio, sumatur diluculo. Quod si turgere materia cognoscatur, ex dolore vago, modo in capite modo in pectore, aut alia quauis parte corporis, vnde periculum immineat, ne in aliquam principem partem decumbat, aut ne in continuam degeneret, quæ plerumque intermittenti succedens læthalis esse solet, validiore pharmaco vacuetur: quale posterius adducetur.

Lenita aluo, de phlebotomia decernendũ est, qua in re varia est sententia. Gal. 11. meth. 15. ait saluberrimũ in febribus putridis nõ modo continuis, sed iis quas putrescens humor accendit, sanguinem mittere. In curatione tamen huius febris primo ad Glauc. phlebotomiam reticet quod & Paul. obseruauit, & Auerr. 7. coll. cap. 11. & Auel. tertio theysir, cap. proprio. Auic. in curatione huius febris cap. 39. huius 2. tract. ait, & quando est possibile vt phlebotomes vsque ad tres periodos, fac. hanc possibilitatem arguit ex vrinis. Id enim docuerat cap. 7. eiusdem tract. de curatione vniuersali feb. putrid. cum vrina est rubea & grossa, tunc enim ait indicium esse vel sanguinem dominari, vel humorem dominantem sanguini esse commistum, ita fit, vt, tum inter medicinam facientes, tum etiam inter scripto-

res, varia sit sententia. Fallacem esse coniecturam, quæ ab vrinis sumpta est, hinc colligere possumus, quod talis vrina interdum ob hepatis imbecillitatem, aut renum, aut obstructionem aliquam emitti consueuit.

Lis autem sic dirimitur. Tertiana quæ verè exquisita est, cuius ideam descripsimus, aut quæ ad eam maximè accedit, est in qua flaua bilis multa est, & cæteros humores saltem virtute superat quę sanguini mista non est, cum accessionis tempore extra venas pellatur sincera, vt iam declaratum est. Nam quæ sanguini miscetur, sincera esse non potest. Fitque in sicco & squalleti corpore, ac admodum calido, & tēpore æstuoso, in hac sanguinē mittere non expedit: nam educto sanguine, magis efferuesceret, sicut nequevbi adsit in venis ingens crudorum humorū copia, nam tunc maior accerseretur humorū cruditas, quod notauit Gal. 4. de sanit. tuenda, ca. 4. & Auic. 4. 1. ca. 20. Caue inquit ne ægrum ad alterum horū deducas vel ebullitionem cholericorum humorū, vel ad frig. cruditatem. neque vrinæ rubeæ in his febribus reddi consueuerunt. Quod si contingat tales emitti, non ratione humorum qui in venis continentur fieri solet, sed hepatis aut renum malè affectorum: quibus affectibus, propriis remediis succurrere conuenit. At siquando, contingat tales emitti vrinas, nulla alia viscerum dispositione intercedente, id autem coniicitur ex habitu corporis, & venarum plenitudine, præterea si absint cætera signa tales viscerum

affectus indicantia, tunc venam secare vtile est. Verùm ea febris verè exquisita non erit, sed ab ea non mediocri interuallo recedet. De hac autem loquitur Auic. ob id ait, & quando est possibile, vt phlebotomes, quasi non in qualibet febre id conueniat, sed in ea tantum, in qua talia signa apparuerint in vrinis. At talis verè exquisita non est, Gal. autem & Paul. exquisitæ tertianæ curationem docent, aut illius quæ ad hanc maximè accedit: ob id sanguinis missionem reticēt. Idem tamen videtur sentire Auic. 4. 1. cap. 20. vbi ait, non phlebotomes infelicem ex generatione choleræ. Ab his autem qui Arabes sectantur, si sanguis missio videatur conuenire, venæ sectio imperatur sexto die, & post tertiam statim accessionem: vbi iam signa actionis apparere cæperint. Secus verò minimè conuenire asserunt: cautè tamen prædici oportere adstantibus, ab ea sanguinis missione ægrum grauiore febre affligendum, ne medicus eo remedio ipsum iugulasse videatur. Hoc autem contingit, quòd proxima accessione futurus sit status morbi, quo omnia sæuiora eueniunt.

Galeni autem locus 11. meth. cap. 15. sic exponendus est, quod in omnibus febribus non modo continuis, sed quas putrescens humor accendit, sanguis mittendus sit, modo vniuersales conditiones ad missionem sanguinis requisitæ supponantur: ita enim semper oportet intelligi. At vniuersales conditiones sunt quòd morbus magnus sit, quòd vires sunt validæ, quod ætas sit flo-

tens, has enim in libro de cur. per ſangu. miſſionem adduxerat, ca. 9. morbi magnitudinem æſtimamus non modo præſentem, ſed etiam imminentem, ita vt quamuis ex ſui natura magnus nõ ſit, periculum tamen eſt, ne procedente tempore magnus euadat: vt ſynocha non putris, & diariæ quæ ex obſtructione ortæ ſunt: quæ facilè in ſynochas putres vertuntur. Similiter & febres intermittentes, quæ licet ſalubres ſint, tamen quandóque ob aëris malitiam, aut ægri intemperantiam, aut inſcitiam adſtãtium, continuæ euadunt. Vires robuſtas intelligo, quæ in pręſens ſufficiũt, nec poſtea facilè dilabuntur. At cum tertiana exquiſita omnium ſaluberrima ſit, etiam per ſe ipſam ad ſtatum & criſim properet: vt primo epid. com. 3. tex. 8. & Gal. primo ad Glauc. 8. præterea cum qui in ea putreſcit humor, obſtructiones gignere aptus non ſit, imo potius aperire, quænam erit ſanguinis mittendi indicatio? Accedit, quod neque vires robuſtæ eſſe poſſunt, vbi alienus à ſanguinis natura humor adeò ſuperet: pręſertim cum in bilioſo corporis temperamento, & ſqualenti & calidiſſimo cæli ſtatu contingant: (à natura enim ſanguinis non paruus factus eſt receſſus,) vbi hæc febris inuadat, qua conditione, non iam ſanguinis miſſione, ſed medicamento purgante eſt opus: vt quarto de ſanit. tuenda cap. quarto, eſt enim hæc non plenitudo alterata, ſed cacochymia, cui purgatio debetur, non ſanguinis detractio. vt 13. meth. ca. 6.

Quod ſi aut ſanguinis copia iuncta ſit, aut bi-

lis illa nondum exacta prorsus est, sed parũ à sanguinis natura recedat, & parum in eius generatione vlterius processum sit, quam ad sanguificationem conueniat, talis humor exquisitam veram tertianam gignere non poterit: sed ea habebit pituitæ partem admixtam: neque ægrotantis habitus valdè calidus & siccus erit, qualem dicimus requiri in veræ tertianæ generatione. Ex his igitur patet vnde ortæ sint variæ in hac re opiniones, & vnde fiat vt aliqui felici successu hac febre laborantibus venam secent, alij vero secus: præterea quomodo Galeni locus qui non mediocrẽ difficultatem habet, exponi debeat: licet alij aliam expositionem afferant, quarum nulla mihi satis Galeno consentire videtur. Ad reliquum igitur curationis procedendum.

Aluo remollita, si accessionis tempore sursum ascendat materia, & æger nauseet, vomitionibus educenda est, vt septimo epid. Si ad intestina descendat, lenibus clysteribus post accessionem excludi debet. Vomitus igitur ita prouocandus est.

℞. aquæ tepidæ ℥v, syr. acetosi. s. ℥is. misce, sumat tepidum: irritetur præterea digitis statim in os immissis, vti expedit in hac febre. ℞. decocti lactucæ, portulacæ, atriplicis, ℥iiij. s. olei communis ℥ij. tepidum sumatur. Quòd si accessionis tempore mordeantur intestina, aut grauitas in iis percipiatur, balanus ex melle viol. & sale immittendus est enemate enim in paroxysmo non est vtendum.

Iubent aliqui in ipſa acceſſione ineunte calore leuibus frictionibus poros cutis aperiendos eſſe, quo vapores euacuentur. Sed id ego potius humores exagitare, & naturam perturbare, ac debilitare exiſtimo, quæ acceſſionis febrilis iniuria fatigata eſt, & quiete potius quam motu, aut exercitatione indigeat, cuius frictiones vicariæ ſunt, niſi vbi ſit tanta caloris in viſcera retractio, vt ſuffocationis aut ſyncopes periculum immineat. Sententia eſt enim Hipp. 6. epid. comm. 3. tex. 3. frictiones aduerſari febrientibus, quod tamen intelligendum eſt, dum adhuc crudus eſt morbus, nam in declinatione vniuerſali intermiſſionis tempore ſunt oportunę.

Communibus materiis euacuatis educantur propriæ, quæ febrem efficiunt. Verũ coctionem prçceſſiſſe oportet, quam ex vrinis cognoſcimus. Interea verò humores præparabimus, & refrigerabimus corporis habitum, his ſyrupis quibus viſcera in priſtinam temperiem reſtituuntur.

℞. ſyr. acetoſi ſ. ℥j. corrigit enim humoris putr. ſyr. viol. de endiuia an. ℥ſ. aquarum endiu. acetoſæ, borag. an. ʒx. miſce ſumatur in aurora frigidus. Syr. viol. ſolus exhibendus non eſt, ne ob ſui dulcedinem in bilem vertatur. Sed acetoſis miſcendus, vel hic ſumatur.

℞. oxiſaccharæ ſ. ſyr. de ſucco acetoſæ an. ℥j. decocti acetoſę cicerbitæ, end. bugl. ℥iiij. miſce fiat ſyrupus, ſumatur in aurora, vel cõficito tale apozema, ſi æger guſtu delicato ſit.

℞. foliorum lactucæ, portulacæ, end. cicerbitæ,

acetosæ, scariolæ, an. m. 1. quatuor sem. frig. maio. an. ʒij. florum nenuph. viol. borag. an. p. 1. pruna sebestē, an. pug. 10. bulliant in s. q. aquæ secundum artem, de colatura. ℞ ℔. 1. ß. syrup. de succo acido citri, de nenuph. an. ℥iij. misce & fiat apozema: clarificetur, & aromatisetur ʒ. 1. pul. elect. trium sand. & sumatur tribus diebus diluculo frigidum, repetatur & altero triduo. Apparentibus signis exactæ coctionis, medicamentum purgans propinandum est.

℞ Rhab. electi infusi in aqua end. vt artis est, per noctem, & expressi, ʒ. i. s. diaprunis sol. ʒij. s. syr. ros. sol. ℥ij. decocti cordialis q. s. cui adde tamarindorum ʒ. vi. fiat potio, sumat in Aurora. Vel sic. ℞ mirabolanorum citrinarum confricatarum oleo amigdalarum dulcium (hoc enim remedio vis illa adstrictoria corrigitur,) ʒ. vi.

Rhab. electi ʒ. 1. infundantur per noctem in aqua endiuię & modico vini albi, deinde exprimantur, adde expressioni diaprunis. s. ʒ vi. syr. rosati solutiui ℥ij. fiat potio, sumat in aurora.

Quod si potionem recuset, sumat bolum sequentem.

℞. pulpæ cassiæ rec. extr. cum decocto berberis, ℥j. diaprunis sol. ʒiij. fiant boli sumantur in aurora die intermissionis.

Interea verò si aluus non libere fluat, repetatur alternis diebus clyster descriptus. Post quartam accessionem vbi manifestè signa decoctionis apparuerint, & medicamento aluus mollita fuerit, vrinæ & sudores prouocandi sunt. Si igitur in

declinatione accessionis sudet ęgrotus, operimẽtis mediocribus sudor exprimendus est, & abstersione, ne poros obstruat. Hoc autem in qualibet accessione fieri oportet.

Verùm vbi materia concocta est, si sudor non libere procedat, volunt aliqui aquam coctam multam cum modico vini albi, oligophori, tenuis, esse propinandam, in declinatione accessionis. Hoc remedio copiosos sudores & vrinas elici. Id etiam præstat aqua hordei cum sacharo, vel aqua endiuiæ & graminis an. ℥iij. syr. de endiuia comp. ℥ij. misce. Sudor itaque hoc modo prouocari poterit. Sumptis verò alterantibus syrupis, & sumpto medicamento purgante, vrinæ etiam ciebuntur commode, & sudores hoc vel simili medicamento ℞. Syr. acetosi compos. ℥ij. decocti end. appij, Fenic. graminis, cichorij, foliorum endiuiæ, & acetosæ, ℥iiij. misce fiat syrup. sumatur calidus in Aurora. Nam sicut quæ vomitum mouent tepida, ita quæ vrinas, calida bibi oportet. poterit repeti tribus vel plurib⁹ diebus, prout necessitas exiget. Gal. primo ad Glauc. nono iubet dari eo tempore decoctum comæ absyntij. Commode igitur tunc vna cum cicorio & rad. graminis & acetosæ ipsius comæ tres: coquentur, & vna cum syr. ex endiuia comp. vel simp. propinabitur vt vrinę prouocentur, & ventriculus corrigatur. Aliqui iubent dari absyntij puluerisati ʒij. cum aqua sacharata mane. Hęc medicamenta valde prouocantia vrinas & sudores, commodius sumuntur post syrupos alterantes, nam ita reli-

quiæ humoris melius educentur.

In acceſſionibus, vbi vehementer ſitiunt, aqua hordei vel aqua cocta cum iuleb. violato, & ſyr. de ſucco acido citri, in ſtatu præſertim, ſitim profligabit, vt 2. de criſ. 3. frigidam autem eſſe portionẽ conuenit, quæ leuandæ ſitis gratia propinatur: nec modicam, ſed largam: nam ita calor febrilis mitigabitur.

In ore præterea habenda aliqua, quæ refrigerẽt & humectent, qualia ſunt hæc. ℞ ſeminum pſyllij integrorum ℥ij. ſem. cotoneorum ℥iſ. gummi tragachantæ ʒ.1. Sacchari candi ℥ſ. inſuantur hęc inuicem commiſta linteis raris in lingularũ modum formatis, acúque interpunctis, quæ aquę ipſarum immerſę in ore teneantur, præſertim ſi ſcabra ſit lingua.

Refrigerant & acini malorum punicorum, & ſaccharum candum violaceum prę ſertim, aut hæc compoſitio. ℞ conſeruę roſatæ conſeruæ nenuph. conſeruę bugloſſi, an. ℥ſ. pul. elect. trium ſant. diamarg. frig. an. ʒi. corall. rub. ℈ij. trocisch. de camph. ʒ. ſ. ſacchari roſati tabulati, hoc eſt manus chriſti q. ſ. fiat conditum auro coopertum eo vtetur ægrotans ſitis tempore, cum aqua cocta, vel per ſe extra acceſſionem. Epithemata tuto præſcribi poterunt, quę refrigerium præſtent cordi, ne in acceſſionibus calor intus pellatur. Poſtea occurrendum ſymptomatis. Si itaque dolor capitis vexet.

℞. olei roſati completi ℥iij. aceti ℥j. applicentur fronti frigide, æſtate: vel adde lactis mulieris

puellam lactantis ℥j. Si vigiliæ.

℞. syr. de papa: ℥iſ. aquæ lactucę, ℥iij. pul. diamarg. frig. ℈ſ. miſce, ſumatur hora ſomni, vel ſic. ℞ ſeminum papaueris albi & melonum mund. an. ℥. ſ. in panno lineo raro inuoluantur: innodulo ligentur, fingantur fruſtula, nucis auellanæ mag. & cum iure pulli fiat emulſio, quæ ſumatur hora ſomni.

Poſtremo inflammatio tollenda eſt, ſi qua poſt febrem aut humorum euacuationem remanſerit: ne ea excalfactio humores corrumpat, aut alios generet: à quibus denuo febris excitetur.

℞. ſpecierum trium ſant. ʒj. pulueris diatragachante frig. ℈i. ſacchari albi diſſoluti in aqua end. vel portulacæ q. ſ. fiat confectio in rotulis. p. ʒiij. de quibus vnam ſingulis diebus ſumat, horis duabus ante paſtum, & ſtatim ſuperbibat parum aquæ endiuię.

Regio hepatis vngatur ſequenti vnguento. ℞. cerati ſant. ℥ij. ſ. olei violati ℥i. lauentur accurate aqua frigida, aut aqua end. ne poros obſtruant, & ita vnguentum penetrare prohibeatur, deinde addito. ℈ ß. ſpicæ nardi, fiat vnguentum, & tepide mane ante cibum hepatis regioni applicetur.

Si quę reliquiæ ſuperſint, leuibus frictionibus per ſudores & potu vini albi tenuis, aut emulſione quatuor ſem. frig. ma. in iuſculis poſita per vrinas educentur.

Aliqui ſuccũ arnagloſſę aiunt depuratũ ad ℥ iiij.

epotum tertianam febrem ſanare,ſi antè acceſſionem per horam ſumatur. Alij dicunt vinum granatorum ita exhibitum idem prȩſtare. Alij triferam ſaracenicam, ea quantitate vt purget, cum decocto trifolij & alleluia aſſumptam idem efficere.

Sunt qui ſemper viuum tritum, & alia ſimiliter refrigerantia hepati applicent, quod quidem remedium quandóque febrem extinguit: at valdè ſuſpectum eſt, vbi obſtructionis ſuſpicio ſit. Remedia quȩdam vulgaria pleríſque, inſignibus etiam medicis, in vſu ſunt: quibus quidem vti licet non omiſſis aliis: ſonchus tritus, ſambucus, plantago, ſubiguntur ex aceto, & carpis alligantur. Alij puluerem fuliginis è furno, & ſaluiam contuſam vna miſcent cum oui albumine, & ita carpis imponunt. Aliqui eandem fuliginem cum alliis, cepis, albumine oui, & germine miſcēt, acetum effundunt, alligantque carpis. His quandóque vti cogimur, vt vulgi opinionem expleamus, quòd pleróſque his remediis ſanatos exiſtimet. Verùm neque indiſcretè quibuſuis eius generis vti licet, ſed iis tantum, quȩ ſi non proſint, obeſſe nequeant. Temeraria enim ſunt cauſtica, quibus interdum vulgus abutitur: quale eſt radix ranunculi trita, carpo alligata, quæ etiam exteriori gutturi admouent.

De causi dignotione, causis & prognostico.
Cap. III.



Perepręcium me facturum arbitror si rerum cōtiguitate ductus, congeneres primum febres vicissim explicauero, quę ex vnico & simplici humore fiunt, mox quę ex eorum miscella & confusione generantur, quas alioquin nothas appellant: vt cognitis simplicissimarum remediis, facilius sit ad compositas pro alterius humoris excessu medicamenta temperare.

Cum igitur nuper de exquisita tertiana egerimus, quę eiusdem ferè est cum Causo rationis, vtilius erit statim de causo agere: vt quę illi diximus conuenire huic facilè, dum fęcunda adhuc memoria est, possimus accommodare.

Ardens itaque febris Gręcis καῦσος vocatur. Hoc est ardor, seu incendium, quę etiam quãdóque ignis Hippocrati dicitur, vt in exemplo Sileni & Philini vxoris 3. comm. in 1. epid. quod cæterarum omnium longè sit flagrantissima. Eiusdem est cum tertiana exquisita generis. Differunt tantum quod in hac bilis sincera per vniuersum corpus deferatur, vbi putrescens eam febrem accendit, in illa eadem bilis in maioribus vasis efferueat, & ingens incendium excitet vt secundo de cris. tertio. Vnde nomen febris ardentis sortita est. Verùm eadem bilis quæ in vasis residet, vel

in venis maioribus continetur & cordi propin-
quis pręſertim,iecoris,ventriculi, pulmonis, aut
in exiguis & à corde diſtantibus:ſi in maioribus
putreſcat:ardentem facit,vt primo epid.ſecundo
com.20.quã ad ſynochorum genus refert Gal.ſe-
cundo de criſ. cap. ſexto. Si in minoribus venis,
apparent acceſſionum remiſſiones, quamuis in
quietem febre vacantem non deſinat: hancque
continuam tertianã appellant. Ab ardore igitur,
quem καῦσον appellant,differt continua tertiana,
quam συνεχῆ vocant, acceſſionum remiſſione,
cum neutra interea ad quietem deſinat,donec ex
toto ſoluatur. At acceſſionum inuaſio & remiſſio
contingit, vbi humor ad incendij locum à corde
diſſitum,& in venas anguſtiores ſeſe pręcipitans,
accenditur: quod ſi in maioribus claudatur, ma-
ius incendium eſſe neceſſe eſt,& febres perpetuo
ferè ſibi eſſe ſimiles: vnde fit, vt ad ſynochorum
genus quę ex ſanguine generantur, eas Galenus
retulerit, quibus hoc proprij ineſt, vt nullam ac-
ceſſionum inuaſionem, nullam remiſſionem pa-
tiantur,ſed perpetuo eandem retinent formam:
vſque dum ex toto deſinant, vt poſterius dice-
mus. Hæc autem vel nullam vel adeo minimam
habet exacerbationum irritationem,& idcircò in
idem genus referenda videtur.

Cauſas habet procatarcticas quidem res om-
nes non naturales,quę calefaciunt & ſiccant im-
modicè,qualis eſt vehemens ardor ſolis, libera-
lior potus vini fortis, & longa ſitis: vt quarto de
ratione victus tex. tertio. Alimenta quę calefa-

ciunt& ſiccant,labor plurimus,venus,vigiliæ,curę,& quęcunque eiuſmodi à quibus venę exhauriuntur,& efferueſcit ſanguis,præterea anni tempus æſtuoſum,regio calida & ſicca, & anni conſtitutio eiuſmodi.

Antecedentes,intemperies calida & ſicca,quæ multam bilioſi humoris copiam generat. Propinquior cauſa, eſt bilis ſincera & retorrida,qualis eſt vitellina, fit etiam à ſalſa pituita, vt Hipp. quarto de ratione victus, tex. 13. Sed ea ſpecies à veri cauſi natura degenerat, & nothus cauſus vel illegitimus, cenſendus eſt, vt Galenus in eo commentario explicat. Fit vbi ſalſa pituita in ventriculi aut hepatis aut pulmonis venis putreat: vt Galen. quarto de ratione victus com. 16. Locus vbi putredo accēditur, iam expoſitus eſt.

Indicia perpetua,pręcipua, ac pathognomonica ſunt, ſitis inexhauſta,& exurens calor: vt 3. de morb. vulg. com. 3. com. 34. ita vt abſque his ardens febris dici non poſſit:pręterea lingua arida, nigra,ventris roſio, alui effuſio pallida, vigiliæ, atque interdum mentis aberratio: vt Hipp. 4. de ratione victus acut. contex. 4. niſi quandóque à craſſis vaporibus eleuatis,obſtructis cerebri meatibus, ſomnus profundior obrepat, aut fatigata virtute vigilandi impotentia.Inſuper faſtidiū, iactatio corporis, oſſearia laſſitudo, pulſus velox frequens& durus, celeritas in contractione præcipuè,ſicut & frequentia in exteriori quiete cernitur. ob duritiem non admodum vehemens aut magnus contingit: vrina ruffa, & inter-

dum ſubliuida, adeſt quandóque ſpirandi difficultas.

Verùm non omnia hæc ſigna perpetua ſunt, ſed horum aliqua quandóque contingunt, quandóque minimè. Ventrem erodi, & biliosa effundi perpetuum in hac febre ſignum non eſt: ſed vbi vehemens ſit morbus, & aerium ac tenuium humiditatum motus ad interna fiat, quod quidem præcipuè euenit, ſi in ventriculo aut hepatè ſit morbi ſedes, ſi in pulmonibus, hæc nõ admodum cõtingunt. Sed potius ſpirandi difficultas, igneus ſpiritus, delirium, & quæ de lingua dicta ſunt, vt Gal. eodem quarto de ratione victus com. 4. & (vt in ſumma dicam) eadem in hac febre indicia ſunt, quę in tertiana exquiſita, ſed vehementius aucta: niſi quod neque rigor præcedit particulares acceſſiones, neque ſequitur excretio.

Si flauę bili crudus humor aut pituita ſalſa cõmiſceatur, magna corporis perturbatio, capitis grauitas, & dolor, vrinę craſſę, & turbulentę, conuulſio deinde, à quibus mors ſequitur: nempè ob crudum humorem putrefactæ bilis ardore agitatum, & multo prędirum ſpiritu, ab eo vapor craſſus & mordax in caput ſublatus, dolorem, grauitatem, conuulſionem, & mortem plerumque inferre ſolet.

Quæ ad prognoſtica pertinent hæc ſunt.

Cauſus celerrimè iudicatur, aut ad ſalutem, aut ad mortem: ſi exquiſitus ſit, ſeptimum diem non tranſcendit vt quarto aph. 59. acceſſiones quantulæcumque appareant, ſi diebus paribus exacer-
ben-

bentur, ſexto die mortem pronunciant, aut etiam quarto, ſi grauioribus ſymptomatibus iungātur, vt Hipp. & Gal: primo epid. ſect. ſecunda tex. & com. 75.

Aeſtate frequentior eſt, hieme, ſiquando contingat, periculoſior vt 11. meth. 9. prope finem. Perniciosa verò ſigna ſunt hæc.

Rigor à principio inuadens, nam cum rigore morbus hic ſoleat iudicari: vt Hipp. teſtatur 4. aph. 58. A febre ardēte habito inquit deteriora ſigna ſtatim apparere malum eſt, vt Gal. aſſerit primo epid. com. 2. comm. 75. vigilia præterea & angor, inſuper timor, cui etiam mœſtitia cognata eſt: hæc enim læſionem cerebri indicant, & flauæ bilis acrioris vſtionem. Frigus inſuper partium extremarum. Hoc enim pernicioſiſſimum eſt, ſymptoma in omnibus acutis febribus, quibus familiare eſt, vri extremis partibus, quæ ſiquando refrigerētur, nec facile ad calorem reuocari poſſint, & viſcerum regio ardeat, ſanguine deſtitui indicio eſt, & iam emori, eas deſtituente natura, vt Hipp. 4. aph. 48. & 7. aph. primo. Malus præterea eſt ſudor in fronte & clauiculis, peſſimus autem ſi frigidus ſit, cum inſtantem ſyncopim ſignificet. Quod ſi ęſtui & linguæ ſiccitati ſitis nō reſpondeat, prauum eſt indicium. Alterum enim ſignificat, vel læſam omnino mentem eſſe, vel ventriculi facultatem extingui niſi fortè tuſſicula ſitim temperet. vt 4. aph. 54. Quod ſi vrinæ nigrę tenues, paucæ emittantur, & alui duræ ſint, pernicioſum eſt: nam nigræ ab aduſto iam prę in-

cendio biliofo humore fiunt:paucæ,quod omnis iam aquofus humor ex fanguine præ febris ardore abfũptus fit,& quod vrinę inftrumenta emortua fint: tenues, quia à natura nondum bilis euicta eft, ob quam etiam caufam aluus refiftit, vt eodem 1.epid.com.2.com.75.

Perniciofa quoque in his febribus fanguinis è naribus ftilla,ficut vtile & familiare profluuium, vt 1.epid. Cõm. 2. tex. & com. 63. & 66. Verùm quarta die folet effe periculofum,nifi aliquid boni coinciderit. Quinta verò minus periculi habet: vt in coacis pręnotionibus poft principium. At ftillatio aliis quoque febribus praua effe folet, vt 4. de ratione victus com. 67. quælibet.n. excretio in ægris,fi parua fit mala omninò eft, vt Galen. docet fecundo prorrher. com. 47. fiue fanguis per nares excernatur, fiue per ventrem, fiue per vomitum, aut fudores, aut vterum fiat excretio:cuius caufam refert, quæ deteriora exiftunt, exigue excerni non conuenit, quod fi ita euacuari contingat, id idcirco fit vel quod cum tolerari non poffint ob copiam, ab affectis partibus effunduntur, vel quod natura proponit quidem excernere, verùm per imbecillitatem non poteft.

Si voluntariæ lachrymę erumpant, mortẽ portendunt,cũ in omnibus febribus & aliis quibufque morbis,vt 4.aph.52.Tũ verò maximè in acutis, vt 1.prog.13.ficut etiã floccos carpere,ftragula colligere, difficulter fpirare, vt 1.prog.26.& 28. Huiufmodi caufum malignum vocat Gal.4.acut.

16.vt ab eo distinguat, cui talia symptomata non contingunt. At malignitas pendet aut ex humoris natura putrescentis,vt si porracea, æruginosa, aut omninò sincera,& assata sit bilis, vt vitellina, quæ enim sincera est, crassa est, tertio de ratione vict.2.comm.aut ex putredinis ratione,vt si profunda sit putredo, primo de diff.feb.sexto:aut ex loci natura, in quo humor putrescit, vt si in pulmone,ventriculo, hepate,vt 1.epid. com.2.com. 20.& 4. de ratione victus comm. 4. in his igitur prædicenda mors est,& eo certius, quo hæc symptomata plura & vehementiora affuerint. Horum verò si nihil adest,aut lenia omnia, vel pauca quidem, & ea minus læthalia, desperandum non est,quod si omninò contraria affuerint, spes salutis est.

Iudicatur autẽ fluore sanguinis narium, sudore, vomitu,alui deiectione,vt 3.de cris.ca.3.iudicatur etiam quãuis non legitime,per abscessum: vt parotidas,4.acutorum 11.ostendunt autem fluxum sanguinis è naribus,si aures& ceruix rubeant,cętera verò pallida sint,si sponte illachriment&caligent oculi,interim cum quodam splendore, si adsit grauitas capitis, colli, frontis, temporum, pulsatio venarũ,quæ illic sunt,nariũ pruritus,hypochondriorũ cõtẽtio sine dolore,nã si iungatur dolor, earũ partium inflãmationẽ etiam significat,vt 1.epid.com.2.com. 55. faciei rubor, pulsus magnus,difficilis anhelitus, vrinę & alui excrementa sine causa candicantia,vt 3.de cris. vlt.& 3. prog.35. & primo epid. com.2. comm.55.

Salutaris eſt fluxus hic ſi die decretorio contingat, id enim reliquis quoque criticis excretionibus commune eſt, ſi è directo fluit, partis magis affectæ, ſi fluor copioſius ſit, non ſtilla: accidit autem magis aut vere, aut æſtate, & corporibus aut temperatis, aut bilioſis, & iis qui nondum triginta annos ſuperant, vt Hipp. 3. progn. loco citato, & 3. de criſ. vltimo. Indicat vomitus, ſi hæc cõtingant, horror, aut frigus inferiorum partium pulſus durus, & inæqualis, mordax, capitis dolor, tenebræ oculis obiectæ, dolor ventriculi, tumor & incõſtantia labij inferioris, tenuis ſputatio, vt tertio prog. 32. & 3. de criſ. vltimo. ſit præcipuè poſt annum 30. vt eodem 3. prog. 35. contingit etiam frequenter pueris, & in bilioſis febribus, ob humoris naturam.

Sudorem pronunciant pulſus mollis, & vndoſus, rigor ardori ſuccedens, præſertim imminente criſis tempore, ſuppreſſa aluus, & vrina, aut ſi ſuppreſſa vrina aluus minus ſolito fluat, deliria increſcente acceſſione, & ſi partes exteriores calidiores & rubicundiores ſint. Si vapor calidus exeat, vt 3. de criſ. vltimo. Fiunt autem magis humida anni conſtitutione, vt 3. aph. 6. vtilis eſt ſi calidus ſit, & toto corpore diffuſus, vt primo progn. 29. Quod ſi cæterarum excretionum nulla ſint ſigna, & criſis inſtet, tuto inferiorem alui excretionem prædicemus: præſertim, ſi aluus ſolito mollior videatur, vt Gal. eodem 3. de criſ. vltimo. Contingit etiam quandóque menſtruorum ſalubris eruptio quæ quidem prædicitur, vbi adſit

lumborum tensio, grauitas & dolor, & hæc de prognostico satis sint dicta.

De curatione ardentis febris. Cap. IIII.



N curatione victus ratio primum instituenda est, eadem verò fere sit, cum ea quam exquisitæ tertianę diximus conuenire, frigidior tamen& humidior, &eò tenuior, quo breuior morbus, vt Gal. primo ad Glauc. 8. modo neque humores acriores inedia fiant, aut vires ægri vna cum morbo absumãtur: neque victus formam intempestiuè commutare necesse sit, vt plerique medici solent, qui aduentante statu liberalius cibum offerunt, solari se ægrum &reficere putantes, cum interea in certiorem perniciem præcipitent. Nam siquando alias victus tenuis, in statu maximè congruit, vt pluribus locis Hipp. satis probatum est. Cauendum igitur ne vulgi & mulierum opinione seducti, præter artem, artem exerceamus.

Aer cubiculi frigidus sit, & perflatus, aut natura, aut si locus sine ventulo est ignauus, flabello concitetur: vt frigidiusculum inspirare liceat: modo reliquum corpus non refrigeretur. Stratis præterea foliis arundinum, vitium, rosarum, myrti, & irrigato solo aqua ros. vel communi, & aceto temperandus est, rami quoque è salicibus, & arundinibus toto cubiculo componendi, ac subinde commutandi, ne siccati lędant, insuper mur-

mure cadentis aquæ in peluim, fontium imitatione, vel frigidissimæ è vase in vas sæpius transfusæ, ægrotanti delectamentum & somnus concilietur.

Mollis sit lectus, & spatiosior, vt subinde locum æger possit commutare : lecti stragula & linteamina leuia sint, & tenuissima, non aspera, non sordida, alternis diebus commutata, contra vulgi errorem, odore rosarum aut viol. fragrantia, cucumeres crassiores, quos etiam aliqui angurias vocant, cucurbitæ caro, lactuca & quęcumque alimenta refrigerant, iuscula frigidis herbis alterata, ptisana dilutior cum succo limonum, aut citri, & quæcunque talia dicta fuerunt, huic affectui conueniunt.

Potus eiusdem sit generis, qualem prius imperauimus. Cęterum potioni magis indulgendum quam cibo, quę frigida tamen est. Conuenit præter eas potus species aqua cocta saccharo viol. condita. Oportunior alendi hora matutina est, quod tunc ob aëris frigiditatem febrilis calor tepescere videatur.

Somnus quoad fieri potest, omninò conciliandus est, & quies tum animi tum corporis imperanda.

Primum igitur vt alui excreméta quę plerúque ob vehementé caloré exsiccata sunt, educantur, clyster molliens & refrigerans iniiciatur.

℞. quatuor emollientium herbarum, fol. lactucę & cucurbitæ an. m. I. pruna numero decem, fiat decoctio, huius decocti percolati. ℞. lib. Iſ. cassiæ

recenter ext. ʒx. ſacch. rub. ℥ij. olei viol. ℥iiij. fiat clyſter, immittatur ante cibũ: vel ſi in ventriculo plenitudo & grauitas percipiatur, ſumatur hoc medicamentum leniens. Cognoſcitur autem, ſi adſit ingens ſitis, ardor, morſus ventriculi, vomitus bilioſus.

℞. tamarindorum ℥i. bulliant in ſ. q. decocti cordia. huius percolati. ℞. ℥iiij. ſ. in quibus diſſolue caſſiæ recent. ext. cum decocto berberorum ℥i. ſyr. viol. ſol. ℥iſ. vel diaprunis ſimplicis ʒx. ſyr. roſ. ſol. ℥j. fiat potio, ſumatur ad auroram, vel hora vna ante prandium. Vel ſic parato.

℞. pruna damaſcena numero x. vuarum paſſarum detractis arillis ℥ſ. trium flo. com. an. p. 1. quatuor ſem. frig. com. an. ʒiſ. tamaridorum ℥i. decoquant, in aqua communi, vt artis eſt, colentur, & exprimantur, expreſſionis ℞. ℥iiij. ſ. mannę elect. ℥iſ. caſſię rec. extr. vt dictum eſt, ℥ſ. ſyr. viol. ſol. ℥i. fiat potio, ſumatur ad Auroram, vel hora vna ante cibum.

Verùm ſi maxima bilis copia adeſſe cognoſcatur, cum periculum immineat ne in principem aliquam partem decũbat, vel lenientiũ quantitas augenda eſt, vt morbi materiæ pars detrahatur, vel validius medicamẽtũ cholagogũ adiiciendũ, hoc pacto. ℞. prædicti decocti q. ſ. cui adde diaprunis ſimpli. ʒx. ſyr. roſ. ſol. ℥ij. vel pulpæ caſſiæ recenter extr. ʒvi. diaprunis ſol. ʒiij. ſyr. roſ. ſol. ℥ij. fiat potio. vel ℞. rhab. infuſi in ſucco roſ. & expreſſi ʒiſ. diaprunis ſimp. ℥i. elect. è ſucco roſ. ʒi. ſ. ſyr. roſ. ſol. ʒi. cum decocto

cordiali fiat potio, nam vt inquit Hipp. secundo aph. 29. cum morbi inchoant, &c. & primo aph. 24. in acutis passionibus raros & quarto aph. 10. medicari in valde acutis eadem die, si materia turgeat.

Sanguinis missionem aliqui imperant, plurimi refugiunt, tamque suspectam, quod bilis excandescentiam vereantur. Qui contrariæ sunt sententiæ, opponunt eandem proportionem seruari, bilis ad sanguinem secta vena, quæ prius ante sanguinis missionem erat, & idcirco non debere esse suspectam, præterea addunt Galeni locum, tum eum quem nuper adduximus ex 11. meth. 15. tum 1. ad Glauc. cap. 13. vbi iubet in continuis febribus sanguinem esse mittendum, & primo aph. 23. ait in febribus adurentibus nullum remedium pręstare sanguinis missioni vsque ad animi deliquium præterea 9. meth. cap. 5. in synochis largam sanguinis missionem imperat. At causos & synochos in idem refert genus 2. de cris. cap. 6. Hæ sunt rationes quibus persuadere contendunt in causo sanguinem detrahi oportere.

Sed paucis tota controuersia videtur posse componi, si quis exactè rem animaduerterit.

Duplex est causus legitimus & nothus, vt paulo superius ex Galeno ostendimus. Alter enim fit à flaua bile: alter à salsa pituita. Rursus qui à flaua bile fit, duplex est. Nam alter fit à bile sincera, alter non à sincera bile generatur, neque tam acrem habet calorem, sed portionem sanguinis admistam, à quo calor temperatur. Hic

rursus duobus modispotest contingere, vel enim fit ex synocho febre, hoc est sanguine immodico excalefacto & degenerante præ calore in naturam bilis, aut ex præ existente flaua bile, cui sanguinis aliqua portio adiecta est, vt iam diximus. Dico igitur quod in causo notho, cum ei siccitas non sit comes tanta, quanta in legitimo, licebit sanguinem mittere, modica tamen quantitate. Quod paruam sanguinis detractionem vires patiantur. At si sanguini copioso bilis admixta sit, pro copia sanguinis pulsus vehementiores erunt vrinæ rubicundæ, & vires firmiores, & pro viriũ ratione copia sanguinis detrahenda.

Quod si immodica sanguinis copia excalfacta causus genitus sit, ita vt synocho causus euaserit, tunc liberalior sanguinis missio conueniet, & eo magis quo minus à sanguinis natura & temperamento recesserit. Et de hoc loquitur Gal. primo aph.23. in exquisito verò causo, qui à sincera bile putrescente generatur, cum maximus sit recessus humoris huius à sanguinis natura, iuxta pręceptũ Galeni 4. de sanit. tuen. ca. 4. & vires infirmæ, sanguis mittendus non est : neque enim conditiones quę ad id requiruntur adsunt. Licet enim morbus sit magnus, qui id indicat, adest tamen virium inconstantia, tum præsentium, tum futurarum: nam misso sanguine, ægri vires concidunt, ex candescit bilis, & plerumque delato ad caput eo humore fit phrenitis, vt sępe vidimus, idcirco adhibendum iudicium est, ne nostra culpa æger periclitetur.

Ad id quod adducitur de bilis proportionē ad ſanguinē, dico non ſeruari eandē proportionem, quoniā educto ſanguine vires fiant imbecilliores & viribus imbecillis faciliùs eſt bilē excādeſcere: & quamuis eadem ſupereſſet proportio ad ſanguinem bilis quę in venis continebatur, non tamen eadem erit abſoluté, cùm multa bilis in cyſti fellis & prope hepar, & aliis partibus corporis lateat, cuius nulla portio ſanguinis miſſione educitur, & corpus feruidius efficit. Locus Galeni qui adducitur ex 12. meth. 15. iam expoſitus eſt præcedenti cap. Nam licet hic morbus ob ſui magnitudinem ſanguinis miſſionem indicet, non tamen adeſt virium conſtantia, quæ eam euacuationem patiatur, niſi vt dictum eſt, adſint ſigna ſanguinis copiam indicantia, aut bilem ſanguini eſſe commiſtam, ſeu cauſum factum ex ſanguine bilioſo, non ex bile ſincera, ex qua generatur exquiſita tertiana, quæ ſolo loco differt à cauſo, vt ex Galeno iam probatum eſt. Nam qui cauſus ab humore non naturali fit, ardentiſſimus eſt, verùm hic raro contingit, plerumque enim fit ex ſanguine bilioſo. Galeni ſententia primo ad Glauc. indubitata eſt, modo comitentur ſigna ab eo adducta, rubor maior quam naturæ conueniat, & corporis tumor, & venæ extenſæ. Ad locum vigeſimi tertij aph. primi libri dicendum per febres adurentes Galenum intelligere eas quæ aut ſynochæ ſunt, aut ex ſynochis in cauſum de-

generantes, quibus est maxima sanguinis copia, & has refert in genus synochorum, vt secundo de cris. 6. Alioqui quis tam imprudens est vt mittat sanguinem vsque ad animi deliquium, in humor. febribus, si veri sint causi? neque quisquam est qui id præcipiat. Necesse est igitur Galenum intelligere de illis ardentibus febribus, quæ ex synochis fiunt, & sanguinis plenitudine, quod etiam Altomarius notauit. Quod si quis ita imprudens sit, vt eum Galeni locum exquisito causo velit accommodare, ægrum in interitum præcipitabit.

Si itaque vrina crassa sit & rubicunda, sanguis mittendus est, parce tamen, vt vires in reliquum morbi sufficiant. Verùm si febris sequatur inflammationem alicuius visceris, tuta erit sanguinis missio: mittant autem ex vena interna dextri brachij, nam hæc velocissimè euacuat, & plurimum ex principibus partibus, vt Galen. 4. acut. 24. Auicenna quoque eiusdem videtur esse sententiæ, nam cap. 44. secundi tractatus primæ fen. quarti ait, & non plebotometur, fortasse enim inflammabit eos. & fortasse iuuabit eos, si fuerit ibi turbiditas & rubedo. Capiti postea oxyrrodinum applicetur.

℞. succi lactucæ, olei rosati completi an. ℥ij. aceti ℥ß. Vel recipe olei nenuph. olei rosati an. ℥ij. aceti ℥ß. misce & leniatur caput rasum, præsertim sinciput, vt panni Linei frusta immersa & expressa

ſincipiti & fronti applicentur.

Syrupi interea refrigerantes exhibendi. ℞. ſyr. de ſucco acido citri, è nenuph. an ℥ i. aquæ lact. nenuph. an. ℥ iij. largos n. oportet eſſe ſyrupos vt caloris vehementia extinguatur. Plures ſunt ſyr. qui ad hunc vſũ conueniunt, vt præter iam dictos viol. de ſucco acet. ex endiuia, de cucurbita, & papau. de berberis ex agreſta, oxiſaccha. & ſimiles ex quibus magis conuenientes naturæ & ſymptomatibus eligantur: vt in delirio ſumitur ſyrupus de papa. & nenuph. in ſpirandi difficultate, & vbi coniectura ſit bilem in venis pulmonum collectã eſſe, ſyr. viol. ſi in hepate, ex endiuia è nenuph. è ſucco acido citri, è ſucco acetoſæ, alio qui ſine diſtinctione prædictis ſyr. vti permittitur. Habendus ſimiliter delectus aquarum quibus ſyrupi diluuntur aut ſi pro aquis decocta ſubſtituas.

Deinde epithemata cordi applicentur, ℞. ſpecierum ad epithemata cordis tẽperatarum, ſi frigidæ temperatæ non ſint, ℥ i. trocis. è camph. ʒ ij. aceti ℥ iij. aquarũ roſ. ℥ viij. acetoſæ lib. ſ. nenuph. bugloſ. an. ℥ v. vini ℥ ſ. fiant epithemata, cordi applicentur, infuſis & expreſſis fruſtis panni quem chermiſinum vocant, in febris ipſius augmento: ne ſi expectemus coctionem ſerius remedia parentur. Hepati etiam proſpiciendum eſt.

℞. aquæ endiuiæ lib. 1. roſ. acetoſæ an. lib. ſ. omnium ſand. an. ʒ ij. camph. gr. 6. aceti ℥ ſ. ſpicæ nardi ℈ ſ. fiant epithemata hepati, tepide tamen iuxta Galeni præceptum 13. meth. 11. mane & veſperi

Testibus præterea sua epithemata applicanda sunt. ℞ vini aromatici ℥ij. aquarum plantaq. & nenuph. an. ℥vi. aceti ℥i. misce & panni molliores immersi & expressi testibus applicẽtur. Vix enim credibile est, quantus sit testium consensus cum toto corpore. Verùm harum partium refrigeratio magis conuenit accedente iam ad statum morbo, quam in principio, ne per antiperistasin ignis magis augeatur.

At quoniam febris hæc soluitur vel euacuato bilioso humore, vel calore extincto, sicut etiam Paul. lib. 2. cap. 29. vrgétque magis caloris extinctio quam causæ eductio, aqua frigida copiosa potari permittitur: ea enim febri, vt febris est, remedium est: vt Gal. 11. metho. 9. præsertim huius, quæ omnium vehementissimum habet incendium. Idcirco 9. meth. 5. frigidam exhibet, vbi concoctionis notæ iam apparere cæperint, & nullus sit in visceribus tumor præter naturam, aut euidens obstructio potissimum si laborans potui aquę frigidæ assuetus sit, quod etiam 11. eiusdem cap. 9. confirmauit, singularéque dicit esse remedium ad ardentes febres, & primo acut. 43. ait tantum offerri oportere, quantum æger semel in spirando possit haurire. Verùm Auer. 7. coll. 12. ait non esse expectandam morbi coctionem: cuius rei duas innuit rationes, primo quod æger interea periclitetur, & serius futurum sit auxilium, vbi febrilis calor innatum calorem extinxerit. Altera est, quòd longe minus periculum immineat ex aquæ oblatione, quam ex tanto in-

cendio, nam ex frigidę potu, sola morbi longitudo imminet, ex caloris vehementia, mors. Idcirco pluribus recentiorum probatur hæc opinio, vt non expectata coctione frigidissima abunde propinetur: modo nulla adsit viscerum inflammatio. Cęterum tutior erit potus aquę frigidæ si primum cocta sit, saccharo violato condita, vt si octupla sit aqua, suboctuplum sit saccharum, nam cum frigida sit, tarde penetrat, si cruda pręsertim sit, & multo tēpore in hypocondriis morata corrumpitur, vt Gal. 4. acut. 5. vel si pro saccharo viol. syrupus aliquis refrigerās, vt de limonibus ex acetositate citri, exagresta, è berberis, è granatis, vel oxisaccharum, & similes immisceantur, aut in vehementissimo incendio, & inquietudine, syrupus de papauere.

Commendatur ad demulcendam sitim efficacissimus hic, præsertim ab Arabibus.

℞. succi cucumeris crassioris, quē anguriā vocāt li. iiij. sacch. lib. ij. coquantur secundū artē, & fiat syr. admiscetur aquæ coctæ frigidæ ad sedandam sitim aut aqua hordei, endiuiæ, acetosæ, & similibus, vel paratur iulepi ex aqua cucurbitæ, cucumeris, seu anguriæ, rosæ, acetosæ, viol. & similibus, addita sexta partè sacchari, aut octaua.

At cum hypocondria & lumbi incendio flagrent, hoc lenimento tēperanda sunt. ℞. olei ros. loti ter aquæ ros. ℥iiij. cerę albæ ℥ij. liquescant in vase duplici, vbi refrixerint, in aquam frigidissimam demergantur, deinde subigantur succo

lactucæ: vel ſemper viui, adde camph. ʒ. ſ. hoc vnguento ſæpius inde vngantur hypochondria, & lumbi. Quòd ſi pro oleo roſaceo ſubſtituatur oleum violatum, lotum aqua violata vnguentũ thoraci illinendo probatiſſimum fiet, ei verò parti pręcipuè refrigerantia topica applicanda ſunt, vbi coniecerimus bilem collectam putrere: vt ſi in pulmonibus, ventriculo, hepate, vt dictum eſt, hæc autem in ſtatu conueniunt ne incendij vehementia fiat in hecticam lapſus vt Gal. cap. 9. I. de feb. diff. quo etiam tempore ad ardorem temperandum fruſta & ramenta cucurb. & cucumeris contrectari permittunrur, aut mandragorę poma, vel pilę marmoreæ, folia etiam lactucæ, aut nenuph. quę etiam plantis pedũ applicantur.

Alij horum frigidorum applicationem minus tutam exiſtimant, eo quod fuliginum diſſipationem prohibeant, ægrotantibus quidem hæc placent, quamdiu ſenſum frigoris exhibent, licet paulò poſt noceant facto calore ardentiore ex concluſione: ob id præſtare aiunt, ſi raſo capiti, thoraci, hypochondriis, quin & plantis pedum applicentur pulmones recẽtes mactatorum animalium, aut catuli, aut pulli columbarum per dorſi longitudinem diſcecti, quorum tepido calore igneus temperatur, & fuligines alliciuntur, & ita per accidens ſubſequitur refrigeratio, oppoſitum tamen Galenus ſentire videtur loco citato.

Concocta materia, & vbi ad ſeptimũ iã diẽ peruenerit, quem exquiſitus cauſus non ſolet ex-

cedere, animaduertendum an natura moueatur ad crisim, si moueatur quidem sed imperfecte, iuuanda est iuxta sententiam Hipp. Quo natura vergit primo aph. 21. Si igitur fluxum sanguinis varium tentet, setis porcinis immissis iuuanda est. Similiter, si sudores, aut alui fluorem, aut vomitum. Quod si nihil moueat, aut imperfecte, reliquiæ humoris educendæ sunt medicamento purgante, ne recidiua contingat, vt est Hipp. sententia 2. aph. 12.

℞. rhab. electi ʒiſ. cinam. gr. v. tamarind. ℥i. macerentur in aqua endiuiæ & modico vini albi per noctem, mane colentur, & exprimantur, adde rhab. electi pulucrizati ℈ij. vt membra roborentur syr. rosſ. sol. ℥ij, fiat potio sumatur in aurora. Vel sic.

℞. corticum myrab. citrinorum confricatorum oleo amig. dulcium ℥vi. infundantur in s.q. decocti cordialis horis decem, lento deinde igni fricentur, & colentur adde cassiæ recenter ext. ʒvi. elect. è succo rosſ. ʒ. ij. syrup. rosſ. sol. ℥iſ. fiat potio sumatur in aurora. ℞. conserue rosſ. ʒij. conseruæ flor. viol. ʒiſ. misce, sumatur postride. Symptomata compescantur hoc pacto sitis quidem, tum potu aquæ frigidæ, iuleporum, collutione oris frequentis aquæ frigidæ cui tantillum aceti commistum sit, & iis quæ præcedenti capite diximus.

Idem præstant lactucæ tenellæ foliola, portulacę, vel oxalidis rotundę & pomitescellæ rosacea vel simplici aqua frigidissima maceratæ, his enim

enim sitis demulcetur: fricetur lingua panno lineo molli leuiter immerso prius mucilagini psyllij aut malorum punicorum succo. Sic enim asperitati linguæ prospicietur. Capitis ardori succurrunt præscripta linimenta, iuuabit etiam non parum olfacere sequentem liquorem. ℞. aquæ ros.℥iij.aquæ nenuph. ℥ij.aceti acerrimi,℥is.sant. alborum&rub.an.ʒis.camph.℈i.misce& in phiala agitatum oderetur.

Si vigiliæ infestent,iisdem somnus conciliandus est,quę prius imperauimus,aut hoc linimento ℞.vnguenti populi recentis ℥i.olei nympheę, olei ros.an.℥s.misceantur, & fronti, & temporibus applicentur,& in aures de his aliquid immittatur.

Postremo si morbi aliquæ reliquiæ suspectæ sint,frictionibus & vini albi tenuis mediocri potatione educentur. His enim vrinæ & sudores promouebuntur.

De continua tertiana. Cap. V.



Est & febris alia,ex biliosarum genere, quæ cum causo maximam habet similitudinem,adeo vt Gal. vix alteram ab altera distinguat, secundo de cris.6. & quarto aph. 59. hanc Τριταιοφυῆ vocat 2. de differentiis feb.secundo,vbi eas ab ardentibus distinguit, & synochis.

Fit igitur continua tertiana à bile flaua dilu-

tiore, & non adeo retorrida, ac causus, quæ alternis diebus ad incendij locum defluens facilè conflagrat, & calorem insigniorem excitat: ea verò portione absumpta, calor perseuerat quidem, sed remissior, donec qui continuam facit humor absumatur. Verùm locus in quem humor sese præcipitat, à corde magis dissitus est, & in venis angustioribus, vnde fit vt conspicuæ exacerbationes & remissiones sint, nec tantum pariat incendium.

Fit quandóque bile non prorsus syncera, sed mista pituita, quandóque etiam humori melancholico, ex quo fit, vt modo longior, modo breuior sit, & varia signa ꝑseferat.

Simptomata eò remissiora, quò maiorem alterius humoris copiam admiserit, quò sincerior bilis, eò calor acrior: sitis & vigiliæ magis infestę, & ad naturam causi magis accedit, quò impurior, eo magis recedit, & omnino symp. vtriusq; febris non nisi magnitudine discrepant, quia in causo acerbiora omnia frequẽtiora, & periculosiora, ex quibus fit vt eiusdem generis signa vtrumque affectum demonstrent, cum eadem symptomata, vt morbi naturam sequuntur, & symptomata & morbi indicia sint.

Quod ad prognostica attinet, causus suapte natura breuior, & periculosior: at crisis in hac ad quartum decimũ diem plerumque incidit, eò periculi magis habet, quò ad causi naturam magis accesserit.

Præterea in victus ratione, causus magis refri-

gerantia,&humectantia postulat,in hac cauendũ ne quo die maior est irritatio,vberior cibus concedatur,nam in accessionibus abstinendum est.

Remedia eadem vtríque affectui conueniunt, verùm in tertiana continua pro caloris vehemẽtia temperanda sunt, & prout alterius humoris participem esse coniecerimus. Cæterum sanguis in hac detrahendus est,pro virium constantia, si cæteri numeri consentiant, vt Gal.1.ad Glauc. 13. enemata,syrupi,pharmaca purgantia,& quęcunque ad symptomata demulcenda pertinent,ex iis sumantur, quæ in causi curatione diximus: nam cum paruo discrimine differant, quæ in alterius curatione præscripta sunt,alteri poterunt accommodari, ne eadem sæpius repetere necesse sit. Hæc de febribus dicta sint quæ ex bilis putredine generantur.

De quotidianæ febris dignotione, causis & prognostico. Cap. VI.



QVÆ biliosis febribus maximè opponuntur, sunt quæ ex putri pituita generantur, cum earum febrium causæ plurimum inter se dissideant. Harum quæ intermittens est, quotidiana vocatur, à circuitus motúsque ordine, quod diebus singulis similiter redeat, ἀμφιμερινὸν Græci vocant. Verùm non quęcunque febris simili typo recurrens, quotidiana dicenda est, alioqui tertiana duplex

& triplex quartana, à quotidiana minime distinguerentur, sed quod ab ea materia fiat, quæ cum pituita sit copiosa, facilè putrescens, necessario quotidianos paroxysmos habet: vt etiam Gal. innuit 2. de feb. 4. Hęc autem duplex est, vel enim exquisita est, vel notha. Exquisita vna est & simplex alteri humori non commista. Notha verò duobus modis fit, nam aut alterius humoris admistione generatur, vt quæ ex pituita salsa, vel à pituita quę à propria natura degenerauerit: vitrea, aut acida. De exquisita primum agendum est, eius itaque signa adducemus, sumuntur autē à substantiæ inhærentibus, & à symptomatibus: substantiæ febris inhæret calor, symptomata aut ad actiones læsas, aut ad exeuntia mutata, aut ad qualitates mutatas pertinent, vt ex sequentibus facile constabit.

Incipit igitur accessio ab extremarum partium frigore, quod etiam paulatim in totum corpus serpit: cum rigore verò non inuadit, sed potius horror quidam adest quandóque, vt secundo de diff. 4. increscente scilicet febre, difficulter eius materia accenditur, vixque frigus à calore superatur. Vnde fit vt longum habeat incrementum, materia siquidem crassa est, frigida & humida, & sæpe præ crassitie meatibus hæret, calor non admodum vehemens, at cum quadam acritudine obtusus, & multo vapori commistus, veluti flamma sub viridium lignorum aceruo: acritudo à putredine, vapor à materia educitur humida: pori angustiores, & fere constricti: ex quo fit vt ma-

teria non poſſit tam celeriter diſcuti.

Pulſus exigui ſunt & debiles, quartanarũ pulſibus, minores cuius cauſa eſt caloris & viriũ imbecillitas, tarditas vtríſque eadem, at raritas maior in quartanis, & tanto quanto quotidianæ raritate tertianas ſuperant, vt primo ad Glauc. 7. nam paruitas frequentia compenſatur: tanto igitur ſunt quartanarum pulſibus frequentiores, quanto etiam minores, inæqualitas autem quotidianis longè maxima: cuius cauſa eſt lenti humoris obruentis copia: ſicut enim tertianis minima eſt pulſuum inæqualitas, ob materiæ paucitatem & tenuitatem, in qua facile luculẽtus & purus ignis accenditur, ita in quotidianis ob crudi humoris abundantiam & lentorem vires opprimuntur, & calor turbidus & fumoſus difficulter accenditur: ex quo pulſus inæquales omninò fiunt & varij, modo paulo maiores, modo minores, debiliores, aut fortiores prout calor materiam, aut materia calorem viciſſim ſuperauerit, perinde ac iis contingere ſolet qui grauioris ſarcinæ pondere præmuntur, quibus vario gradu incedere neceſſe eſt, pulſuum namque inæqualitas omnis virium oppreſſionem arguit, oppreſſio materię copiam, vt exactè declarat Galenus 2. de cauſis pulſ. cap. 1. exemplo duorum idem onus ferentium, iuuenis & ſenis, at inęqualitas hęc, in principio & augumento magis perſpicua eſt, donec calor materiam prorſus accenderit, licet etiam in declinationem vſque perſeueret.

Vrinæ crudę, quod ſignum cæteris etiam febri-

bus in principio commune est, verũ alia est cruditatis vrinarum ratio in hac febre, quã in aliis, nã cum maiores sint obstructiones, ob humoris lentorem & crassitiem, & caloris imbecillitatem, ichores qui seroso humori cõmisceri solent, qui etiam naturam succi imitantur, à quo secernũtur, nequeunt percolari ex quo fit, vt serosus humor fere sincerus effluat, & vrina alba & tenuis. Quod si quando alicuius vasis obstructio reseretur, crassa emittitur, & turbulenta: idque quandóque vicissim fieri dicit Auic. 1. q. tract. 2. ca. 49. quin etiã aliquando fiunt rubicundæ, vt Gal. primo ad Glaucum cap. 7. assata scilicet parte aliqua pituitę, à putredine, aut si febris ex pituita dulciore fiat, quæ iam ad sanguinis limites accedat.

Alui insuper excrementa frigidiora, liquidiora, crudiora, aquosiora, & pituitosiora sunt, vt ibidẽ Gal. Cuius rei causa est ventriculi frigida intẽperies & venarum mesaraicarũ obstructio: ab illa fit vt multa crudi & aquosi humoris copia generetur, ab hac vt in hepar cõcoctus cibus penetrare non possit: quare excremẽta liquidiora reddi necesse est. Pręterea ventriculus & os ipsius præsertim, & hepar male afficiuntur, vt 2. de cris. 5. vnde copiosa pituita fit, quæ in vniuersum corpus redundãs ipsum humidius reddit. Plurima quoque in ventriculo congeritur, ex quo prosternitur appetentia, nisi forte ob intensam aciditatem famẽ excitet, sitis pauca, nisi salsa sit, nam vt dicit Gal. 1. de plen. cap. 11. à salsa siticulosi, ab acida famelici, à dulci somnolenti, ab insipida minime appe-

tentes fiunt: ructus acidi, & frequentes, vomitiones pituitosæ, præcordia inflata, & vltra naturalē habitum intumentia, calor cum paliditate, albus, nempe ob sanguinis & spirituum inopiam.

Sudor circa initia huius febris aut nullus, aut modicus, cū per angustos cutis meatus crassus humor educi non possit nisi vbi attenuatus & concoctus sit, ex quo fit, vt cum materia non facilè possit discuti, accessiones ad horas octodecim sępe producātur, neque prorsus desinente accessione quies relinquatur, sed vestigia quædā putredinis reliqua sint non exigua, à quibus efficitur intermissio multo deterior & alterius accessionis maturius principiū, nam interuallum quietis horarū circiter sex solet intercedere & inuadit ferè sub vesperam. Quæ hucusque signa adducta sunt exquisitam quotidianam indicāt: exquisitam voco eam, quæ à naturali pituita putrescente accenditur, naturalis est, quæ non salsa, non vitrea, non dulcis, sed quæ fatuo & saliuato quodam sapore indicatur. Quæ salsa sapore & propriis signis cognoscitur, hinc vrina ruffa mediocri substantia, inuasio cum motu quodam horrifico, pulsus fortior, velocior, densior, quam in cæteris pituitæ generibus, sitis maior, & multa, horrori calor acrior succedit, calori sudor, inuadit incerta hora.

Quę à dulci fit pituita, mitiora fere habet omnia cū minore interuallo à sanguinis natura recedat, vrinas subrubeas, crassas, pulsus veloces, frequētes, paruos, oris amaritudinem, sitim, capitis

grauitatem, in declinatione ſudores. Inuadit plerumque cum horrore media nocte, quod ad ſanguinis naturam accedat. Quæ ab acida vehementiora habet omnia ſymptomata, cum tenacior craſſior & frigidior ſit, ideo neque ſudores vlli declinationem excipiunt, niſi vbi attenuata & concocta materia iam fuerit. Inuadit cum rigore, vt Gal. 2. de feb. 6.

Vitrea, epialam ſolet efficere, de qua poſterius dicitur.

Harum febrium hieme maximus eſt prouentus, & ſtatu temporis humido, & eius naturæ loco, & conſtitutione, exercet maximè pueros, eoſque paruulos, ex his verò qui iam perfectum habent corpus, pituitoſos, habitu craſſos & obeſos, plurimo ocio, ebrietatibus & crapulis deditos, vt etiam Galenus monuit primo ad Glauc. ſeptimo.

Inſuper Auicenna notauit, ex graui læſione ventriculi & oris ipſius præſertim, initio quandóque acceſſionum ſyncopas contingere: vnde febris ea generatur, quam ſyncopalem humoroſam Arabes appellant. Hæc ſunt ſigna, & cauſæ tum antecedentes, tum externæ, ſeu procatarcticæ febrium quotidianarum, quę omnia excerpta ſunt ex Gal. ſecundo de diff. feb. 4. ſecundo de criſ. quinto & primo, ad Glauc. ſeptimo & ab Auicenna ſecundo tract. primæ fen. quarti ca. 49. Hipp. primo de morb. vulg. com. 3. tex. 2. & 6. meminit febrium diurnarum & nocturnarum, quas Gal. in quotidianas retulit. Ex his diurnas

longiores esse, & magis periculosas, cum aliquando ad tabem vergant. Cuius rei causam affert in com.

At Auicenna tract. 2. primæ fen. quarti cap. 48. ait principium quotidianæ febris produci sępissime vsque ad xvij. diem, & febrem ad 44. Galenus verò primo ad Glauc. 8. longam & periculosam asserit. At primus dies chronicorum morborum est 40. producitur itaque non raro ad 60. Id autem contingit ob materiæ naturam & copiam. At quo sincerior, & longior, sicut & quartana, vt ibidem Galen., salubrior est, cuius accessiones copioso sudore finiuntur, vt notauit etiam Auicenna: nam is humoris tenuitatem & pororum laxitatem indicat.

Quę à dulci pituita breuior, quę ab acida longissima, Quæ à salsa, notha quodammodo est, & ea ratione breuior, morbus hic non naturę iudicio, sed concoctione, & multis euacuationibus soluitur.

De quotidianæ febris curatione. *Cap. VII.*

CVrationem instituenti, prima de victus ratione sollicitudo est.

Verùm hoc prius animaduertendum est febrem hanc oppositam omninò curandi rationem exigere illi quam biliosæ febres, de quibus hactenus egimus, requirunt. Nam sicut in illis præcipua medi-

ci cura est morbum seu febrilé calorem extinguere cum à causa minus periculi immineat, ita in hac potior ad causam solicitudo vertitur, à qua grauissimum ægrotanti periculum impendet. Præterea in illis plurimum, in hac minimum humectandum est, ne si febris ratione refrigerantibus & humectantibus vsi fuerimus, ab his humoris subiecti noxiæ qualitates incendantur, vnde contumacior morbus & difficilior euasura sit curatio.

Nota

Vniuersa igitur victus ratio attenuans, incidens, & aperiens sit iis enim crassa materia inciditur, & obstructiones aperiuntur.

Aer eligatur ad calidum & siccum declinans, si natura talis non sit, arte paretur, ignibus, & suffitibus, modo suffituum materia calidior non sit, ex quo caput grauetur.

Cibus primis septem diebus parcior sit, sicut iubet Auic. vt crudorum humorum copia quam ventriculus, & venæ mesaraicæ continent inędia concoquatur, aut ad expulsionem paretur: eo igitur tẽpore, tantũ vtatur pane modico in iure pulli macerato, aut ptisana hordeacea, cui piper, vel hyssopus mentha, vel origanum coxerint: deinde paulo liberalius alendũ, vt ęgri vires, in statũ sufficiant, gallinacei pulli, perdices, auiculæ, & altilia omnia præter ea, quæ aquas incolunt, hædinæ quoque carnes, & quandóque etiam vitulinæ, sed hæc infrequentius, & oua quandóque sorbilia offerantur: ex oleribus beta, mentha, hyssopus, pulegium, & thymus, apium hortense vul-

gò petroſelinum dictum, aſparagus, feniculus, allium porrum, & quæcunque incidendi, & aperiendi facultate prædita ſunt. Horum aliqua vna cum carnibus iuri incoquantur, aut ex his croco, cinamomo, ſynapi, obſoniis ſalſamenta parentur: quæ & palato grata, & morbo remedia ſint, modo ea prius eligantur quæ minus calefaciunt, & aperiunt, ne craſſi adhuc & crudi humores fuſi in venas traducantur, & obſtructiones augeanr. Ex fructibus paſſulæ, capares & oliuæ vtiles ſunt, vt etiam meminit Alexan. trall. lib. 12. cap. 7. ſingulariter commendatur ius cicerum rubeorum, præſertim, ſi hyſſopo, mentha, feniculo, pulegio, aut allio condiatur. Parcendum autem omnibus, quæ refrigerant & humectant, aut ægrè conçoquuntur, panis ſit optimè fermentatus, & modicè ſalitus.

Potus ſit in principio aqua, vel mulſa cum modico pipere, vel loco mellis modico oxymellitis aut ſyr. acetoſi commiſta, aut ſola cocta cum ſaccharo rubeo, quod magis ad mellis naturam accedit tamen præſtantior erit, ſi vel piper vel cinamomum incoquatur. Vbi materia concoqui cęperit, vini potus erit vtilior, ſit autem tenue & aquoſum.

Vigiliæ quoque & corporis exercitatio ocio & ſomno vtiliora, ſi modo per vires exerceri liceat: exercitij loco aliquando frictionibus vti conuenit, tantum ſomni indulgendum, quantum ad celebrandas coctiones ſit ſatis. Verùm

in acceſſionibus principio ſomnus omninò profligandus eſt, etiam eo magis quo ad id ſunt procliuiores: ne paulatim in lethargum dilabantur. Præterea non erit inutile ægrum quandóque ad iram mediocriter, aut lætitiam concitare, quòd ab his affectibus totum corpus incaleat, nocent timor & mœſtitia, quod refrigerent.

Procurandum vt conſuetæ excretiones procedant, aut natura, aut arte, & opera medici. Cibus acceſſionem horis quatuor antecedat.

In curatione per medicamenta primum alui excrementa educenda ſunt, clyſtere immiſſo, hoc vel ſimili, vt vna crudorum humorum colluuies, quæ inteſtinis adheret educatur. ℞ malu: betæ mercurialis an. m. ij. flo. chame: melil. an. m. 1. flo. cẽtau. min. m. ſ. furfuris macri in panno ligati m. 1. bulliant in lib. 1. colatæ, diſſolue olei cham. ℥iij. mellis roſ. ſacch. rub. an. ℥iſ. hierę picra. ʒvi. ſalis ʒiij. iniiciatur ante cibum, & acceſſionem: repetatur tertio quoque die, ſi aluus excrementa non deiecerit, paulo valentior immittat vt addendo decoctioni flo. ſtæch. & roriſmar. an. m. ſ. ſem. feniculi ℥ſ. & aucta hieræ quantitate vt ℥i. vel pro ℥i. hieræ ſubſtituendo hieræ & diaphenici an. ℥ſ.

Cæterum quoniam multa pituitoſi humoris copia in ventriculo, & prioribus venis reſidet, cuius aliqua pars tenuior, alia craſſior, ne multitudine materiæ ſymptomata contingant, quæ plerumque ægrotanti perniciem inferre ſolent, quæ paratior eſt medicamento educenda: vt etiam

monet Auicenna. Varia eſt enim huius humoris ſubſtantia: tenuior & coctior purgante medicamento facilè detrahetur, craſſiore & contumaciore relicta, modo medicamentum validum à principio non præſcribatur. Conueniet igitur hoc vel ſimile.

℞. catho.℥i.diaphenici ℥ij.vel agar. troc. ℈iiij. ſpecierum Hierę ſimp.ʒſ.cum hoſtiis fiant boli, ſumatur in aurora. vel ℞. pill.alephan. ℈iiij. vel de hiera cum agarico ʒiſ. formentur pillulę numero quinque,ſumat hora ante diem. Deinde de phlebot.decernendum eſt. In qua primum animaduertendum à qua pituitę ſpecie febris excitata ſit,& quanta illius humoris copia in corpore contineatur,nam ſi à craſſo, acido, vitreo, aut omninò frigido & plurimo phlegmate ſit, quòd maximè à ſanguinis natura receſſerit, ſanguis prorſus mittendus non eſt, ne imminuto calore crudi humores ęgrius concoquantur, vt docet Gal.4. de ſanit.tuen.cap. 4. Plurimum à ſanguine diſtat vitrea, deinde acida, poſtea inſipida, omnium minimè dulcis, vt quę ſanguis ſemicoctus ſit, verum quę ſalſa eſt, ſimplex pituita non eſt,cum aut putredine,aut acris alicuius humoris admiſtione fiat,ob id neque cõcoqui aut in ſanguinem poteſt conuerti, ſed tantum expulſionẽ deſiderat, vt Galen. in lib. de conſt. artis 19. Hæ differentiæ propriis notis indicantur(vt ſuperius oſtendimus, Si igitur aut à dulci pituita aut ab inſipidæ exigua quantitate genita ſit,paucus ſanguis detrahetur vtiliter, alioquin mittendus nõ

eſt, cum vires in multa crudorum humorum copia conſtare non poſſint.

Si igitur vrinæ rubeant, ſi pulſus magni & turgidi, ſi calor faciei rubore perfundatur, ſi venæ tumeant, ſanguis tuto parua menſura lata venæ inciſione contrahetur, ſi oppoſita ſigna affuerint, omninò ſanguinis miſſioni parendum. Præterea præparanda materia eſt à qua febris efficitur. Præcipuum enim medici conſilium eſſe debet, vt morbi cauſa adimatur, à qua maius quam à morbo periculum imminet. Verùm cum ea lenta ſit, & craſſa, incidentibus & attenuantibus eget, quibus etiam remediis duo hęc commoda ſuccedent: alterum quòd meatus aperientur, alterum quod interea calor innatus cauſæ morbi partem aliquam concoquens, inutiliorem ſanguinem commutabit, quod quidẽ huic febriũ generi peculiare eſt. Verum in horũ medicamentorũ electione conſilium ſit, vt primo à mitioribus incipientes, ad efficaciora & calidiora procedamus, vt ℞. oxymellis ſ. mellis roſ. an. ℥i. aquę beto: bugloſſi an. ℥ij. miſce, fiat ſyrupus, propinetur calidus declinante acceſſione.

Verùm controuerſia eſt. Num oxymel à principio conueniat, orta eſt ex verbis Gal. primo ad Glaucum ca. 12. vbi in curatione febris quotidianę ait vtendum oxymelle, & iis quę validè aperiunt: ex quibus verbis Alexander, in Galenum inuehitur, non eſſe eandem curandi rationem in omnibus febribus à pituita, cum ſi ſalſa ſit, minus longè calefacientia requirat, quã ſi acida, alioqui

densiorē & acriorē factam iri, exemplo salis & nitri ex Aristot. 4. Meteo. Sententiā Gal. Altom. exponens ait, pituitę vt humori frigido & humido semper incidentia cōuenire, neque Galenum calida aperientia statim à principio imperasse, quæ quotidianę febri salsa pituita nocere possint. Quin nec ipsum oxymel, sed ait, μετὰ τὰς πρώτας ἡμέρας, hoc est post primos dies. Verùm Trincaue. aliter sentit, & Galeni locum mendosum agnoscit, cum oxymel à principio huius affectus mirifice conueniat, & idcirco ait legendū esse in Gal. κατὰ τὰς πρώτας ἡμέρας. hoc est, primis diebus, quam opinionem cōfirmat etiam Pauli sententia, qui eandem Galeni lectionem videtur agnouisse, cui ego magis innitendum existimo: præsertim cum varia sit oxymellis compositionis ratio, & modo acrius modo mitius effici soleat, vt docet Galen. tertio acut. Quarę verba Gal. ita explicāda sunt, vt primis diebus oxymellite vtendū sit, & cōmode aperientibus deinde, non quod eodem tēpore valde aperientibus vti liceat, quo oxymel imperatur, cum ea verba ad totam morbi curationem referantur: neque ea dictio καλῶς valdè significat, sed probe & commode, vel sic legendum, vt dicat primis diebus vtendum oxymellite, tum illis quæ probe aperiunt, sicut etiam legit Paulus, ita vt dictio illa, tum, ordinem dicat temporis, quod Gal. expressit hac dictione καὶ, Verba Gal. hæc sunt, ὀξυμέλιτι χρέω κατὰ τὰς πρώτας ἡμέρας καὶ τοῖς οὖρα καλῶς προτρέπειν δυναμένοις.

Præterea Galenus primo ad Glauc. docet curationes exquisitæ quotidianæ, quę à pituita naturali fit, hoc est dulci, non à salsa: at huiusmodi pituitæ oxymel nunquam non conuenit. Quòd si quis pertinenter velit priorem lectionem tueri, dicendum Galenum intelligere per oxymel id quod compositum est, & diureticum. Quod si quis adeo religiosus sit vt hanc controuersiã: declinare velit pro oxymellite substituat syr. acet. simp.

Repetantur igitur syr. diebus septem, quibus elapsis, & si exactæ coctionis signa nondum appareant, pharmacum purgans exhibeatur, neque enim integra concoctio expectanda est, sed quæ paratior pituita vicissim educenda, vt deinde humoris reliquum faciliùs pręparari & concoqui possit, pluribus enim euacuationibus repetitis, morbus hic soluitur, non natura semel decernente, sit autem pharmacum purgans huiusmodi.

℞. Catholici ℥i. elect. indi ma. ʒ. iij. fiant boli, sumantur in aurora, vel.

℞. Turbith. optimi ℈iiij. zingiberis ℈ſ. sacch. ʒij. decocti cord. q. ſ. cui adde polyp. contusi sem. anisi & feniculi an. ʒij. fiat potio.

Ab assumpto pharmaco, vbi vno & altero die aut etiam tertio quieuerit æger, rursum materia nouis syrupis præparetur in hunc modum.

℞. oxymel. simp. ℥iſ. mellis rosſ. ℥ſ. vel sic oxymellis simp. ℥i. syr. de duabus rad. sine aceto mellis rosſ. an. ℥ſ. aquarum feniculi end. buglossi, an

ʒ.x.

ʒ.x. misce fiat syr. sumatur in aurora calidus diebus sex, quibus elapsis sumat pharmacum purgans quale prius descriptum est, vel hoc ℞. pill. aggreg. ℈iiij. formentur pillulæ numero quinque sumat duabus horis ante diem. Vel.

℞. catholici ℥i. elect. indi maio. ʒiij. mellis ros. sol. ℥i. decocti cord. q. s. cui adde polipodij quercini contusi sem. anisi & feniculi an. ʒij. fiat potio, sumatur in aurora.

Quiescat deinde æger diebus aliquot, deinde accedente iam ad statum morbo, & exactę coctionis iam signis apparentibus, iuxta Galeni præceptum viscerum habenda ratio est, præsertim ventriculi.

℞. cõseruæ flor. borrag. vel buglos. cons. capill. ven. & ros. an. ℥s. arom. ros. in mollis elect. formã parati, ℥ij. pulu. elect. ė gemmis ad corroborandum, & diathodon abb. an. ℥. i. corall. rub. ℈iiij. sacch. q. s. fiat conditum auro coopertum, quo vtatur frequenter ieiuno ventriculo & accessione declinante. Præterea regio ventriculi foueatur hoc vnguento. ℞. olei de absynt. nardini, Mastichini, cidoniorum an. ℥s. vini optimi ℥i. galangæ gariophillorum, menthæ siccæ, corall. rub. an. ℈ij. ros. rub. ℈. s. ceræ q. s. fiat vnguentum quò ventriculi regio vngatur mane & vesperi ante cibum calido, vel huius vnguenti loco sequens emplastrum applicetur.

℞. emplastri ė Mastiche, emplastri pro stomacho an. ℥i. galangę corall. rub. an ʒij. subigantur

cum oleo de abſinthio, fiatque emplaſtrum in ſcuti ſtomacchalis formã, applicetur regioni vẽtriculi ante paſtum. Verùm dum cibum ſumpturus eſt, auferatur, ne ſua vi ſtyptrica cibum infundum ventriculi deſcendere prohibeat: huius loco ſacculus parabitur hoc pacto.

℞. mẽthæ ſiccæ, abſynthij ſicci, ſiſymbrij, roſar. rub. flo. roriſmarini an. pug. ſ. coriandri præparati ℥ſ. cariophyll. ʒij. ligni aloes, macis cinam. an. ʒi. pulverizentur, & pulverizata inſuantur in panno ſericeo rubeo, fiatque ſacculus acu interpunctus in ſtomachalis ſcuti figuram, qui deferatur ſuper ventriculi regionem.

Cæterum cum longus ſoleat hic morbus eſſe, vbi aliquot diebus æger quieuerit, denuo præparanda eſt quæ ſupereſt materia validioribus ſyr. hoc pacto.

℞. oxym. comp. ſyr. de biſantiis an. ℥i. aquarum abſinthij, feniculi, bugloſſi an. ʒx. miſce fiat ſyr. Commendatur etiam pro aquis ſtillatitiis mellicratum, in quo thymus, pulegium, hyſſopus, origanum, vel horum aliqua & cinamomi modicum coxerint. Poſt cuius ſyrupi aſſumptionem ſumat ſtatim orbiculum cõfect. aromat. roſ. repetantur ſyr. diebus ſeptem, deinde purgetur medicamento aliquo ex præſcriptis, vel hoc.

℞. pill. coccia aggreg. an. ℈ij. fingantur cum oxym. pillulæ numero quinque, ſumat horis duabus ante diem, vel.

℞. Catholici ℥i. agarici troc. ʒ.ij. cum hoſtiis fiant boli, ſumantur in aurora. At quoniam huius

febris cauſa plerúmque aut in ventriculo continetur, aut in ipſum confluit, cuius rei argumentum eſt, ipſius inſignis læſio, & cum ventriculus ſuperiore præſertim ſui partè facillimè per ſuperiora purgetur, vomitus excitandus eſt, verùm non antequam exactæ coctionis ſigna apparuerint, inſtétque tempus ſtatus, & vbi iam ventriculi ratio habita fuerit, vt Galenus primo ad Gl. cap. 12. imperat: nam materia cruda & tenax abſque maximo dolore & conatu non eiicitur, niſi forte natura ſponte ad vomitum concitata ſit & prompta, & humor tenuis innatet. Quòd ſi ſigna optimę coctionis appareant, tuto prouocabitur, & largius cibo aſſumpto, vel ante acceſſionem: tunc enim maximè febrem imminuit, vel in augmēti principio, ſecus quàm ab iis qui medicinam exercent plerúmque ſolet fieri, dum ventriculo roborantia applicant, crudis inexiſtentibus humoribus, quibus remediis fit, vt deinde tenacius hæreant, cum adſtrictoria vi medicamentorum impacti fuerint. Simili quoque errore nonnunquam vomitionem violenter concitant in morborum principiis, qui à lenta & cruda materia generantur, cum non facilè ſit craſſos, lentos & impactos humores vomitione reiici: eò conatu agitatur materia, ventriculus læditur, vires deiiciuntur, & in periculum rupturæ venæ ęger deducitur. Quòd ſi prompta ſit vomitio, & tenuis humor, naturæ permittatur. Cæterùm neque in paroxyſmi principio vomitus eliciendus eſt, cum ab inerti frigore laborantis vires torpeant, ſed

potius vel ante accessionem, vel vbi frigore iam profligato, calor emicare cæperit: elicietur autem in hunc modum.

♃. sem. atr. triplicis, sem. raphani, sem. anethi an. ℥i. coquantur accipiantur iuris decocti percolati ℥vi. oxymellis simp. vel scyll. si admodum crassus sit humor, ℥is. commisceantur, & commista tepide bibantur. Quod si illis temporibus vomitus prouocari non possit, cibetur æger salitis piscibus, & raphanis, vt iubet Gal. primo ad Glauc. deinde eodem assumpto medicamento excitetur.

Vbi aliquot diebus quieuerit æger, instante iam declinatione, vrinæ eliciendæ sunt. Verùm si ægrum tot syrup. tædeat, sumat sequens decoctum.

♃. quinque rad. comm. aperit. maceratarum in aceto, an. ℥s. capillor. ven. polytrichi, adianti, cetrach, cassutæ, an. man. 1. pentaphylli filipendulæ absynthij an. m. s. buglossi cum rad. m. 1. sem. appij, anisi feniculi an. ʒij. quatuor sem. frig. ma. an. ʒ. s. cicerum rubrorum m. s. passu. mund. ab arillis ℥i. sem. carthami contusorum, agarici trochis. turbit electi contusi, an. ℥. ß. Zingib. ʒi. polyp. quercini ℥i. senæ orient. ℥. s. decoquantur vt artis est, in aqua communi, decocti percolati. Accipe lib. s. adiiciatur sacchi. & mellis an. q. s. ad dulcorem inducendum, & fiat syr. longus: clarificetur, & aromatizetur ʒiij. cinam. electi, sumat singulis diebus ʒv. in aurora: hoc decocto obstrictiones aperiuntur, vrinæ

prouocantur, & materia morbi educitur. Ab his quiescat æger duobus aut tribus diebus, interea mane assumens ʒi. theriacæ elect. sex horis ante cibum. Cæterum cùm à longo morbo hepatis & ventriculi vires fatiscant, & concoctiones vitientur, ex quo pedes & crura solent intumescere, & hydropis periculum imminere. Huic affectui occurrendum est hoc vel simili medicamento.

℞. troc. de absinth. troc. de eupat. an. ℈iiij. troc. de rhab. ℈ij. cum syr. de rad. fiant pillulæ numero xv. sumat tres singulis diebus in aurora superbibendo hoc decoctum.

℞. rab. assati ʒi. rad. petros. aspar. feniculi, an. ʒij. bulliant in iure cicerum rub. colentur, de colatura sumantur ℥iiij. vel iij.

Deiecta præterea appetentia excitanda, duobus aut tribus coclearibus syr. ex absinthio assūptis mane & vesperi hora vna ante cibum: aut huius loco bibantur singulis diebus diluculo vini absinthitis ℥iiij. vtatur præterea confectione arom. ros. in tabellis, ad ʒij. duabus horis ante prandium & cenam, & coquendi facultas roboretur. Tandem ne ab imbecillo ventriculo noua materia congeratur, his pillulis vtatur. ℞. pill. alephang. ʒij. agar. trocis. ʒi. mastichis ℈ſ. formentur pillulę è qualibet ʒvi. è quibus tres sumantur per horam ante cęnam, bis vel ter in hebdomada.

Aliqui in principiis accessionum, vbi frigus valde infestum sit, pedes mergunt in aquam ca-

lidam in qua rutha, & ſerpillum, thyus, abrotanum aut ſimiles herbæ calidæ bullierint. Præterea concocta iam materia, & purgationibus pręcedentibus, ſpinam dorſi inungunt in acceſſionum principiis, oleo abrotani, irino, ruthæ, anethino, aut ſimilibus, aut etiam eodem tempore theriacæ ℥i. ex vino tenui propinant, aut mithridatij tantundem hora vna ante acceſſionẽ vel hoc decoctum.

℞. Zingiberis, origani, ammeos an. ℥iij. coriádri præpara. ℥iiij. roſarum, calamenti paſſularum, an. ℥ij. coquantur in aqua communi ad conſumptionem medietatis, huius decocti percolati dantur ℥iij. vel iiij. hora ante acceſſionem modo concoctio & purgationes pręceſſerint.

De febre quotidiana continua. Cap. VIII.



Adem omninò ratio eſt continuæ quotidianæ cognitionis, & curationis: nec vlla alia in re mutuo diſcrepant intermittentes, & continua quam in putredinis ſede, cum in hac focus in venis ſit, in illis à venis extra venas materia pellatur: vel ſi Fernelio credamus, quòd partim in ventriculi fundo inteſtinis meſaræo, aut aliis quibuſuis inferioris ventris cauitatibus ſtagnet, & acceſſionis tempore accendatur, & aut vna

cum ea,quæ è venis emissa sit,aut per se accessionem faciat, ex quo minorem ignem excitari par est.

Signa,symptomata, causę, prognostica, & remedia eadem. Nisi quòd si caloris excessus maior sit, maior quoque in remediis temperandis eius erit habenda ratio: vt syrupis admiscendo modicam portionem syrupi de end. vel simplicis vel compositi, de capillis Veneris, & aquam endiuiæ borraginis capillorum veneris, aut aliud eiusdem facultatis quæ sigillatim exprimi non possunt: hoc vnum monentes nullam esse febrem intermittentem quæ cum continua sui generis tantam habeat affinitatem, quantam habet hæc. Nam si verè & exquisitè quotidiana sit, licet intermittens dicatur, tam paruam habet quietem, vt eodem tempore quo quies adest, febricula adesse videatur, & ab antiquis medicis dubitatum sit, num quies illa vera, seu intermissio dicenda esset: vt Galenus quoque recenset, secundo de diff. feb. quarto. Quæcunque igitur de intermittente dicta sunt, eadem quoque de continua dicta esse credendum est. Cum eadem sit vtriusque ratio: Et cum hæc longè frequentius quam intermittens contingat.

De Epialo febre. Cap. VIIII.



VÆ hactenus explicata est febris quotidiana, exquisita est, & à naturali pituita genita, fatuo & insipido gustu. Quæ verò pituita dulcis salsa aut acida, eandem febrē constituit, parum euariatis symptomatibus. At vitrea aliam quandam gignit nomine à prioribus differentem: huic Epiali nomen impositum est, à symptomate, ἠπίαλος enim algorem significat, & febris huius genus à qua caloris & frigoris sensus toto corpore inæqualis est, algor quidem vehemens est, calor toto corpore mitis. Hinc ἠπίαλον appellari volunt, metaphora à maris lenitate sumpta: vt sentit Paulus libro secundo, cap. 26. ἀπὸ τῆς ἀλός ἠπίας φαινομένης, cum aliàs turbatum plenum timoris sit, vel ex eo quòd leniter calefaciat, παρά τό ἠπίως αλαιένειν ἤπιον enim mite seu blandum significat.

Fit à pituita vitrea, quæ omnium humorum qui in corpore sunt frigidissima est: si quiescat nullum algorem inducit, quoniam illi partes in quibus continetur assueuerunt, si per sentientia corpora moueatur, rigorem inexpugnabilem infert, sine febre, si putrefacta non sit. Quod si putredo accesserit, febris accenditur. Verùm id variè potest contingere, nam vel tota putrescit, vel ex parte, si tota quotidiana fit fe-

bris, in qua ſuperato rigore calor in omnes corporis partes diffunditur, licet propter humoris temperiem & inæqualitatem ægrè putreſcat. Si verò ex parte tantum, epialus: nam cum calor omnes partes ſuperare non poſſit, qua parte putreſcens vincitur calorem infert, qua verò putredini reſiſtit, ſenſum frigoris. Ex quo fit vt ſimul calore & frigore corpus febrientis exiguis etiam portionibus afficiatur, vt in de inæquali intemperie octauo. Hanc febrem epialon vocant Hipp. in libr. de ſuper fætatione. Galenus ſecundo de differen. febrium cap. 6. Paulus, Aetius, & Græci omnes reliqui. Eſt & aliud febris genus, in qua variè æger afficitur, hypiriam vocant: continua eſt, & in ea calor & ſpiritus in interiores partes refugiunt: ex quo exteriora refrigerari neceſſe eſt, cum interea intima corporis vrantur. Duobus autem modis id contingit, vel aliquo viſcerum inflammationem patiente, tunc enim propriè lipyria dicitur, vel ſi ardentiſſima ſit febris quæ pre incendio calorem & ſpiritus more cucurbitulæ intro attrahat: vt conſtat ex Hipp. & Galen. quarto Aphor. 48. ſeptimo aph. primo, & ſecundo progn. 4. & in coacis prænot. & in de inæquali intemperie octauo. Auicenna vero tertium febrium genus inæqualiter affligentium commentus eſt, in qua interiora frigent, exteriora calent, vocatque hanc epialum, & lipyriæ oppoſito ferè modo vexare ægrotantes. Hanc fieri vbi pituita vitrea interius detineatur,

quæ cum frigidiſſima ſit, internas partes refrigeret. Verùm accedente putredine, cum tota ſimul putrere non poſſit præ inæqualitate, quæ pars imputris permanet, algorē inferre ſolet proximis partibus: quæ putrida eſt, vapores ad extimas partes emittere, & exteriora calefacere. Verùm neque hæc ab aliquo Græcorum vnquam excogitata fuit, neque Galeni, neque ipſiuſmet Auicennę ſententiæ eſt conſona: Nam in vnaquaque febre prius calorē in corde & īnternis partibus accendi neceſſe eſt, & inde in exteriores & remotiores diffundi, vt ipſe quoque aſſeruit.

Præterea Galenus ſecundo de differ. feb. ſexto ait humorem hunc, licet frigidiſſimus ſit, tunc frigoris & rigoris ſenſum tantum inferrè, vbi moueatur: mouetur autem cum extra venas excutitur, vt in intermittentibus fieri vidimus. Quod ſi ita moueri contingat exteriores partes refrigerari neceſſe eſt, in quas effunditur, non internas in quibus prius continebatur. Quòd ſi quieſcat, nullum frigoris ſenſum faciet, cum non à putredine, ſed ab humoris motu rigor inducatur: vt Galenus in libro de rigore cap. 7. & 2. de ſymp. cauſis ca. 5. & ipſemet Auicenna 2. trac. primæ fen. ca. 6. teſtatur. Nulla igitur ratione febris hæc differentia videtur poſſe conſtitui. Itaque febris epialę materia pituita vitrea eſt, non in totum, ſed aliqua parte putrefacta: quæ pars non putriuit, algorem, quę putruit, calidos vapores emitti, vnde febrilis ſenſus, & frigoris ſimul in ſingulis partibus eodem tempore generatur: huius cauſa eſt,

vel ciborum crassorum & frigidorum materia, vel languidus calor, vel vtrumque: multa autem vix in corpore colligitur. Hinc raræ epialę febres.

Initio frequens oscitatio, rigor vehemens, pulsus minimi, tardi, rari, vrinæ crudæ, aquosę, quotidie fere inuadit, accessio plerumque ad 24. horas quandóque etiam pauciores producitur, & omninò quam quotidianę vehementiora omnia contingunt, quæ humoris intensam frigiditatem testantur: prętere antecedens vita, cœlum, ætas, temperamentum, & cætera quæ in quotidiana diximus, ad cognitionem huius febris adhibenda sunt.

Similis ferè affectus contingit quandóque ex larga defluxione capitis, & multo insolatu, etenim febris accenditur, in ea calor & rigor sentitur, diuersa tamen vtriusque materia est, nam quę caloris incendium parit, in venis vritur: quæ algorem, à supernis partibus defluens, fusa in habitum corporis dispergitur: has febres vulgò catarrales seu reumaticas vocant. Sudore expresso multis operimentis, & calidorum lapidum, seu panniculorum applicatione curatur. Hoc enim remedio humor qui rigorem inferebat sub cutè liquatus educitur. Verùm in his, non eodem loco calor & frigus sentiuntur, sicut in epialis.

Cæterum scribit Auicenna 2. tractatu primæ fen. 4. cap. 53. febrem hanc non semper quotidianas habere accessiones, sed quandóque tertio, quandóque quarto die inuadere, idque idcirco

fieri quod pauca ſit hæc materia craſſa, nec facilè putreat, ob intenſam frigiditatem, non tamen propterea tertiana aut quartana exiſtimanda eſt, quòd periodorum ordo febris differentiam non conſtituat, ſed ſigna, quæ humoris naturam oſtendunt.

Eadem victus ratio vtilis quæ in quotidiana, ſed attenuet magis & incidat.

Phlebotomia hic omninò interdicitur, medicamentis incidentibus & calefacientibus vtendũ, initio facto à leuioribus melicratis in quibus hyſſopus, mentha, ſtęchas, origanũ, vel thymus ebullierint: cui etiam vini aquoſi quarta, quinta, vel ſexta pars addi poterit: ſyrupis iiſdem, aut etiam calefacta materia valentioribus, vt oxymellite compoſitio ſeu ſcyllitico, clyſmatibus, electuariis ſoluenribus cataprotiis, & reliquis medicamentis, modo paulatim ad validiora quæque procedatur: redeundum poſt purgationes ad incidentia, vt pluribus euacuationibus contumax materia viciſſim educatur, vt iam in curatione quotidianæ monuimus.

Commendantur thermę ſiccæ, vbi iamdudum manifeſta coctionis ſigna præceſſerint, iis enim materia tenuatur, & elicito ſudore foras emittitur, meliores erunt, ſi ex rebus incidẽtibus & aperientibus parentur, calamento, mentha, origano, roremarino, thymo, ſaturegia, pulegio, ſtœcahde, aut aliis eiuſmodi, incoctis paribus aquæ & vini portionibus: iis vtatur æger ventre ieiuno, & aluo ſubducta pro virium ratione: ab his, corpus frice-

tur, abstergatur sudor, deinde inungatur spina oleis supra enumeratis, in curaquotidianę. Sumat postea diatrium pepereon, vel diacalamenthi, vel aureæ alexand. mithridatij, theriacę, ℥i. aut per se, aut ex vino tenui, deinde in molli lecto compositus sudet, iisdem medicamentis vti poterit reliquis diebus, vbi aliud sumendum nō sit, aut hora ante accessionem, modo prius materia concocta fuerit, alias enim importunus esset eorum vsus.

v.D. Gc. 2. 25.

De tertianæ nothæ causis, signis, & prognostico. Cap. X.



DVplex est tertianarum febrium ratio, nā vel simplices sunt, seu exquisitę & legitimæ, vel nothę seu spuriæ, & quę à veræ illius & sinceræ tertianę natura deflectunt: quæ quidē idcirco nothæ dicuntur, quod non omninò eius febris Ideā & similitudinē referant, cuius nomen vsurparūt. Alternis quidem inuadunt diebus, sed propriis signis mistam quandam febris speciem cōstituere videntur. Nominis autem ratio ab humore superante sumatur: neque enim periodorum ordo, sed signorum ratio. febris differentiam efficit, quę inter vtrasque diuersitas est, in materia præcipuè consistit, in qua febris accenditur, vnde caloris modus, symptomata, accessiones, & tempora variantur: Simplicissima est, & vnius tantum rationis exquisita tertiana, nec vllam omninò distinctionem admittit, ad quam

tanquam ad regulam quandam & exemplum cę-
teræ comparantur: quæ vero exquiſita non eſt, multiplicem varietatem recipit, prout ab illa magis vel minus receſſerit.

Verùm cum innumeræ ſint earum differentiæ, quę pro bilis ratione & admiſti humoris quantitate & conſiſtentia diſtinguuntur, ſcire licet eas vno tantum nomine exprimi, vel tertianas ſimpliciter, vel nothas ſeu illegitimas, aut omninò minime exquiſitas vocari: ſumpta ab ea denominatione, ad quam collatæ propriam differentiam conſtituunt, vt Galen.6.epid.comm.2.commento 23. Cæterum vt propriis quibuſdam nominibus diſtinguantur, quaſdam tertianas tantùm, vel non exquiſitas vocari iubet. Gal. quæ ab exquiſitis paruo interuallo defecerunt, vt quibus acceſſiones ad horas quindecim producuntur, quibus verò ad viginti, aut viginti quatuor, aut triginta, aut etiam plures, extenſas multum, aut parum tota latitudo vtrinque intercluditur ſimpliciſſimis & exquiſitis oppoſitis febribus. Varius eſt enim miſtionis modus, at quo magis ab altero termino receſſerint, eò maior ad alterum fiet acceſſus, & quantum natura inter ſe different, tantum etiam rationem victus & reliquam cauſæ curationem neceſſe eſt immutari: vt primo ad Glauc.8.

Harum febrium cauſa eſt bilis, alteri humori commiſta plerumque verò pituitoſo: nam vel humores per ſe & diſtincti putreſcunt in corpore, vel ſimul commiſti & confuſi: ſi diuiſi putreãt,

cum eorum quilibet propriam habeat periodum efficitur febris miſta quędam ſpecies, & complicatio. Id autem quatuor modis poteſt contingere, vel enim vtraque febris intermittens eſt, tum quotidiana, tum tertiana, vel vtraque continua: vel continua tertiana, quotidianæ intermittenti iungitur, vel quotidiana continua tertianæ intermittenti, & hæc vere & propriè ſemitertiana dicitur: vt Galenus ſecundo de differen. febrium octauo. Reliquæ verò non propriè ſemitertianę appellandæ ſunt: Quod ſi bilis pituitæ confundatur, & ſimul vtráque putreat, efficitur tertiana notha, quam idcircò quod frequentius accidat, maioris famę noſtri vocant, ſi humori melancholico, quæ ab ipſis minoris famę tertiana dicitur, licet Agathinus omnes productas tertianas ſemitertianas vocauerit: quam opinionem Galenus impugnat ſecundo de diff. feb. 8. De priore nobis hoc loco ſermo habendus eſt. Differt hæc febris à ſemitertiana, quoniam licet ab vtróque fiat humore, non tamen hi loco diſtincti ſunt, ſed ita confuſi, vt ex vtróque vnus conflatus coctionem, pręparationem, & expulſionem ſimul admittat. Hanc, ſi pituita craſſa bili admiſta ſit, vitellinam ex ſimilitudine vocat Auicenna. Cum autem varia eſſe poſſit alterius humoris ad alterum proportio, tum in quantitate, tum in qualitate aut modo ſubſtantiæ, cui plus pituitæ aut craſſioris inerit, longiores erunt acceſſiones & totius morbi longiora tempora, cui minus, aut aquoſioris, è contra. Eſt enim hoc tertianę pro-

prium, vt quo impurior fuerit, eo longior ſit futura cum in aliis oppoſito modo contingat. Cęterę cauſæ cognitis oppoſitarum & exquiſitarum febrium cauſis, facilè cognoſcentur, vt temperatura, calida quidem, & ætas iuuenilis, ſed quibus ocium & repletio, ſomnus, balneæ, & crapula comites ſint, aut frigidior intemperies, aut curis, laboribus, vigiliis, ieiunio, cibis, & potui calidioribus inſueſcens: aeris conditio varia & inconſtans, qualis autumno ſolet contingere, & omninò quæcunque cauſæ vtrumque humorem generant, coeuntes, huius febris cauſę eſſe poſſunt: omnibus tamen perpetuo adeſt vitiata ventriculi concoctio, vnde crudi humoris copia fit.

Signa pro cauſarum ratione confuſa, modo alterutrum humorem magis, modo æqualiter referentia varietas hæc mēte potius concipi, quàm verbis poteſt explicari.

Cum rigore languidiore incipit, vel horrore, alternis diebus inuadit, non raro ob humoris copiam diebus ſingulis, & duplex fit tertiana: acceſſio vltra duodecim horas producitur, aliquando ad triginta & eo plures, vt Gal. primo epid. com. tertio, com. 5. & 6. epid. com. 2. com. 23. & 2. de diff. feb. 8. Calor perſpicuam præſefert acrimoniam, comitantur quoque grauitas corporis, vertebrarum dolor, inflatio ventriculi, faſtidia, ſitis, oris amaritudo, vrina citrina, & craſſior, inexquiſita, & modicè confuſa. Pulſus quam in quotidiana maiores duriores, celeriores, & frequentiores,

tiores;

tiores. Verùm in his omnibus differentiis à tertianis veris ſuperantur, ſed inęqualitate ſuperant.
Acceſſiones copioſus ſudor non ſoluit, ſed modicus: coctionis ſigna eò ſerius apparent, quo impurior fuerit, & omninò ſigna eadem habet quæ tertiana, commutata tamen ex proportione pituitæ ad bilem, & quodammodo media inter ſigna tertianæ & quotidianæ. Autumno frequentior. Huius generis tertianę Romæ maximus eſt prouentus, tum ob ocioſam hominũ vitam, tum ob aëris inconſtantiam. Durationis tempus incertum eſt; plerũque ex acceſſionum longitudine colligitur, vix duodecima aut 14. periodo terminatur, modo in quadraginta, modo in ſexaginta dies producitur, quandóque etiam ſex integros menſes perſeuerat, feréque deſinit in tumorem lienis, vbi tamdiu vexauerit, vt in vitiatam viſcerum temperiem, vt ex adducta à Gal. cuiuſdam iuuenis laborantis hac febre hiſtoria conſtat, 1. ad Glauc. 8. periculo tamen vacat, vt aſſerit Hipp. 4. aph. 43. niſi aut incuria medici, aut errore adſtantium, aut ęgrotantis intemperantia talis euadat: neque adeo tuta eſt ac exquiſita, vt exemplo iuuenis illius declaratur. Huius rei cauſa eſt humorum diuerſitas, quæ morbos contumaciores reddit, vt 1. epid. comm. 3. comm. 21. & 4. aph. 40. nam & ad naturam ſemitertianæ accedit, quam periculoſam aſſerit Hipp. primo epid. com. 3. texta 5.

n

De Tertianæ nothæ curatione. Cap. XI.



Ictus ratio eo plenior esse debet, quo longior expectatur morbus: id autem plerumque cognoscitur ex longitudine accessionum, præterea neque adeo refrigerans & humectans qualem aut in exquisita requiri diximus, aut in ea quæ ab exquisita parum euariat. Sed abstergendi, attenuãdiq; vim habeat, aut sine insigni calefactione vrinas ducat. Vescatur igitur lacte amigdalarum in quo mica panis macerata sit, cui etiã addatur saccharum: similiter iusculis mediocris pulli, cui incoxerint anethum, hissopus, folia deinde & radices petrosel. confert etiam ius cicerum rubeorum, cui incoctæ sint radices fæniculi, vel radices aut folia petros. vbi coctionis signa apparere cæperint, quo etiam tempore ptisana hordeacea conueniet, piperis momento condita, aut hyssopi comis: quantitas verò tum ex morbi longitudine, & viribus ęgrotantis, tum ex consuetudine metienda est: iubet Gal. diebus intermissionis tantum ægros nutriri, aliis minime. Verùm ætas nostra adeò tenuem victum non fert, at potius iuxta Hipp. sententiam secundo à cutorum, consuetudinis habenda ratio est, & diebus intermissionis semel & iterum cibus offerendus, minore saltem quantitate, pro temporis & virium ratione, reliquis semel saltem, & iuscu-

lis vtendum, vbi vires tantam inediam non patiuntur. Hora verò conuenientissima est, in qua æger mitius habet, & ab accessione saltem per horas quatuor remota, aut accessione declinante. Quod si tam longa sit accessio vt vires in id tempus sufficere non possint, iusculis ex arte paratis virtus in delinationem vsque fouenda est, modo ea tantum quantitate sumatur, qua vires seruare, non febrem augere possint, aut certe quam minimum.

Potus sit in principio vel mulsa, ex albo melle, cui hyssopus adiiciatur, vt etiam Græcis vsitatum est, vel hydrosacharum, ex aquæ coctæ lib. iij. sacchari ℥vi. cinamomi ʒij. cui aquę etiam posterius capillus veneris incoquatur: ea poterit vti in accessionibus etiam, vbi signa coctionis apparuerint, quo tempore vini tenuis & aquosi vsus, extra accessionem, tamen in pastu tantum conceditur. Hydrosac

Curatio à materierum communium eductione ordienda est, id autem fiat enemate infuso, vel sumpto leniente medicamento: Salubrior tamen erit vsus medicamenti, quod in hac febre multa pituitosa materia in ventriculo innatare soleat, quæ grauitatem & fastidia stomacho inducit, quandóque etiam vtróque remedio erit opus vbi adstricta aluo sit æger, enema igitur tale præscribetur.

℞. maluæ. betæ, merc. pariet. an. m. i. seminum anisi & feniculi an. ʒij. florum chamem. & meliloti an. m. ss. furfuris in panno raro ligati ad pi- Clyster

tuitam abstergendam m. I. bulliant in iusta quantitate aquæ secundum artem. ℞. iuris percolati lib. I. mellis ros. sacchari rubei, an. ℥iß. olei communis ℥iiij. diacassiæ, hieræ picræ s. an. ℥ß. salis ʒ. iß. fiat clyster. Huiusmodi clysma conuenit præsertim vbi crassa pituita admista sit, vel tale medicamentum adsumat in die intermissionis.

℞. Catholici ʒ. x. agarici trocis. ℈iiij. cum saccharo fiant boli, sumat in aurora, vel.

℞. Catholici ʒ. x. diaphenici ʒi. cum hostiis fiāt boli sumantur vt dictum est, vel hora vna ante prandium, sic enim faciliùs educet.

Deinde de venæ sectione consulendum: si itaque nihil adsit quod venæ sectionem prohibeat, & à febre indicatio tantum petenda sit, Galeni consilio primo ad Glauc. sanguinem mittemus, ea quantitate quæ statui corporis conueniat: lata venæ deductione. Deinde præparandi sunt humores expulsioni, dum interea concoquuntur, hoc pacto.

℞. syr. acet. simp. ℥iß. mellis rosati ʒß. aquarum lupulorum endiuiæ an. ℥ij, misce fiat syrup. vel.

℞. oxymellis simp. syr. ex endiuia an. ℥i. aquarum lupul. buglos. an. ℥ij. vel oxymellis simp. ℥ij. si crassior & cōtumacior materia sit. Repetatur aliis sex diebus, sumatur sub auroram calidus: pluribus mobis in hac febre syr. vtendum est, quod magis contumax sit materia quam in exquisita: repetantur igitur syr. diebus septem.

Enematibus interea erit vtendum singulis die-

bus, vel ſaltem alternis, nam hoc remedio cruditates quę inteſtinis hærere ſolent, abſterguntur: præterea in principiis acceſſionum frigus maxima cura depellendum eſt, tum calidis pannis applicitis, tum excalfactis lapidibus pannis inuolutis admotis, difficilius enim arcetur. Vomitus maximè probatur in hac febre, eò quòd multa materiæ pars in ventriculo contineatur, competit autem maxime cibo aſſumpto, teſtimonio Galeni primo ad Glauc. x. aut in acceſſionis principio, ſi in id tunc natura procliuis ſit, elicietur autem hoc pacto.

℞. oxymellis ſimp. ℥ij. decocti atriplicis, radicum raphani in rotulas conciſarum, ſem. anethi ℥v. tepidum propinetur à cibo, iuuabitur pręterea digitis in os immiſſis, & immiſſa pēna oleo intincta, quibuſdam ſolum oxymel ex aqua pluuia tepida ſatis. Vomitor

Coctionis itaque ſignis apparentibus materiæ pars ſoluente medicamento eſt educenda hoc vel ſimili.

℞. catholicon ʒvi. diaphęnici, electu. ex ſucco roſarum, an. ʒij. ſyr. roſ. ſol. ℥iſ. communis med. decocti, q. ſ. cui adde ſem. aniſi, & fenic. contuſorum an. ʒiſ. comarum hyſſopi p. 1. fiat potus, ſumat in aurora vel ſic. Cathart

℞. Rhabar. elect. ℈iiij. cinam. vel ſpicę grana ſex agar. troc. ʒi. maceretur per noctē in ſ. q. aquę end. & abſinthij, & modico vini albi, & mane facta expreſſione adde, elect. diacarthami. ʒ. vi. vel diaphænicon ʒiij. ſyrup. roſati ſol. ℥ij. commu-

nis decocti med. q.ſ. fiat potio ſumatur in aurora: vel in forma boli.

℞. cathol. ℥i. elect. indi maioris ʒij. elect. de ſucco roſ. ʒi. cum hoſtiis fiant boli, ſumantur in aurora, vel ſi malit catapotia ſumat hæc.

℞. pill. aggreg. ℈iiij. conficiantur pillulæ numero quinque, quæ ſumantur tribus horis ante diem: tutum erit quandóque quinque, vel ſex horis ab abſumpto medicamento ſolutiuo vti lotorio, hoc eſt potione cuius vi abſtergantur medicamenti reliquiæ, ſi quę ſuperſint in ventriculo. ℞. iuris cicerum rub. vel aquæ hordei, ſi intenſus ſit calor febrilis, vel iuris pulli ℥vi. ſacch. rub. ℥ſ. miſce.

Id quoque memoria retinendum eſt, poſtridie ab abſumpto medicamento ſoluente lauatiuum enema ſolere immitti, ne quæ reliquiæ purgantis medicamenti in inteſtinis relictæ ſunt, alui fluorem, aut capitis dolorem inducant, vbi ab ambitu corporis humores in inteſtina deducti, partim retinentur: Præterea plurimis in vſu eſt, vt poſtridie etiam ab abſumpto medicamento ſolutiuo mane aliquid offeratur, roborandi ventriculi gratia, & cordis, quod quidem in iis morbis maximè vſurpari ſolet, in quibus ventriculus grauiter læditur, vt in hoc affectu.

℞. corticis citri ſacch. conditi ʒiij. conſeruæ roſ. ʒiſ. miſce & ſumantur poſtridie ab abſumppto pharmaco mane. Quieſcat deinde ęger à medicamentis tribus diebus, quibus interea vtatu iuſculis ex radicibus petroſellini, fœniculi, & cicę

rum rub. Deinde redeundum ad ſerapia paulo valentiora, cum fieri non poſſit, vt tota materiæ quantitas à qua febris efficitur, ſimul præparata & concocta ſit. Vtemur igitur tali ſyr. ℞. ſyrup. acetoſi comp. vel ſi materia admodum ſit tenax, oxymel.comp. alioqui ſyr. de duabus radicibus cum aceto, ſyr. de capillis veneris, an.℥i. aquarum endiuiæ lupulorum vel abſinthij, ſi concoqui materia cæpit, capil.ven. an.ʒx. vel decocti lupulorum endiuiæ capil.vener. comarum abſinthij, cetrach.℥iiij. miſce fiat ſyrup. Vſum enim abſinthij imperat Gal. poſt ſeptimum diem, primo ad Glau. repetatur diebus quinque, vel etiam pluribus, ſi fiat hæc febris ab admodum contumaci humore, Concocta materia purgetur aliquo ex medicamentis præſcriptis, deinde quieſcat æger quinque diebus interim ſumendo iuſcula pulli, ex ciceribus rubeis, radicibus petroſelini, fenic. comarum abſinthij, capil.ven. cum modico ſacch. quibus elapſis reliquum materiæ præparetur, & concoquatur. Pręparabitur autem ſic.

℞. ſyrup. biſant. cum aceto, ex endiuia comp. an.℥i. decocti abſinth. capil. ven. radic. apij, fenic. gram.℥iiij. miſce fiat ſyr. vel ſic.

℞. ſyr. ex quinque rad. cum aceto, ſyr. è cicho. comp. cum rhab. an. ℥i. aquarum abſinthij apij, fenic. an. ℥i. vel ʒx. miſce fiat. ſyr. Interea verò maxima eſt ventriculi habenda ratio, ne crudos humores generet, vnde febris materia augeatur: hoc autem præcauebimus, tam ſumptis, quam admotis medicamentis, hoc pacto.

Julep

℞ ſpecierum diarhodō abb.ʒij.ſpecierum arom. roſ.d.G.℈ij.parua quātitas adiiciēda eſt, eo quod excalefaciant, conſeruæ adianthi & flo. bugloſſi, an.ʒij.ſacch.albi diſſoluti in aqua abſinth. & roſ. vt & febris & guſtus habeatur ratio q.ſ.fiat confectio in orbiculis p. ʒij.ſ. è quibus vnam per horam & dimidiam, vel duas ante paſtum ſumat, quibus etiam vti poterit poſt cuiuſque ſyrupi ſumptionem, ſi illi ſumentem faſtidiant, aut ventriculum videantur lædere.

Acceſſionis autem tempore, vtatur condito ſequenti: vbi iam declinat acceſſio.

℞.conſeruę florum bugl.conſeruæ roſ. conſeruæ capill.ven.an. ℥i. pulu. elect. diarhodon abb. ʒij.coral.rub.℈iiij.conſeruę floris roris marini, id pituitæ gratia adiicitur, ℥ſ.ſacchari q.ſ.fiat conditum auro coopertum, de quo prædicto tempore ſumat coclear vnum, cum aqua hordei vel tātum immergendo in prædictam aquam, vel poſtea ſuperbibendo ipſius moderatam quantitatem.

Extrinſecus autem ventriculus roborabitur hoc vel ſimili remedio.

℞.olei ex abſinthio, olei nardini, an.℥i.olei melini, olei maſtichini, an.℥ſ.menthę ſiccę cardamomi, galangæ, corall. rub. carioph. an. ℈ij. ſtyracis calamitæ, ʒ.ſ. coriandri præparati ℈i. roſ. rub. ℈ſ. ceræ q. ſ. fiat vnguentum, quo ventriculi regio vngatur mane & veſperi ante cibum aut vnguenti loco vtatur ſequenti emplaſtro.

℞. empl. è maſtiche, empl. pro ſtomacho, an. ℥i. galangæ ʒiij. coralli rubei ʒij. ſubigantur

cum oleo ex cotoneis, fiatque emp. in formam ſcutalem, quod quidem regioni ventriculi applicetur, vitata tamen quoad fieri poteſt, hepatis regione, ne immodicè calefiat. Hoc autem cibi tempore amoueatur, ſiquidem ſua vi adſtringente cibi deſcenſum in ventriculum impediret, quod quidem ab inunctione timendum non eſt, cum paruo tempore imbibatur. Concocta rurſus & præparata materia, medicamento ſoluente educenda eſt, ſiue id in forma potionis, ſeu boli, ſeu catapotiorum fiat, quale eſt hoc.

℞. agarici troc. ℈iiij. rhab. elect. ℈ij. maſticis ℈ſ. cum ſyr. roſ. ſol. fiant pillulæ numero ſeptem, ſumat tribus horis ante diem, vel loco maſticis ſubſtituantur ſpecies hieræ. Pillula

Quod ſi neque his remediis febris ceſſerit, tædeatque ægrũ tot medicamentorum ſoluentium, ab ſumptione medicamenti ſoluentis quieſcat diebus ſeptem: interea verò ne remediis deſtituatur, vtatur iuſculis aperientibus: his enim natura magis delectabitur quam ſyrupis, quibus elapſis, vtatur apozemate quod habeat vim aperiendi & educendi, quale erit hoc.

℞. quinque radic. aperit. macerat. in aceto, ſi adſit incidendi neceſſitas, vel in vino albo: ſi vrgeat ventriculi imbecillitas, an. ℥ſ. capill. ven. polytrichi, cetrach, pimpin. endiuiæ, eupat, bugloſ. cum rad. an. man. vnum, ſemin. aniſi, apij fenic. an. ʒij. ſem. mellonum, & cucurbitæ, an. ʒiſ. cicerum rub. m. ſ. paſſul. mund. ʒſ. polipodij quercini, fol. ſenæ mund. an. ℥i. nam aliquæ

Ap[illegible] [illegible] ſyr. May

bilis partes in melancholicum humorem vertuntur à calore febrili, sem. carthami contusi, ℥vi. agarici troc.℥ß. trium florum com. an. p.i. decoquantur vt artis est, de colatura.

℞. lib.ij. adde sacchari ad dulcorem q.s. vnde fiat syr. ad mediocritatem coctus, colatur, colaturæ adde rhab. electi, ℥.ij. spicę nardi ℈.ß. cinam. ℈i. macerentur horis duodecim, deinde exprimantur, vtatur diebus quinque: hoc medicamento reliquiæ humorum educentur, & robur addetur visceribus.

De Quartanæ causis, signis, atque prognostico. *Cap.* XII.

TErtium intermittẽtium febrium genus est exquisita quartana, quę ex solo melancholico succo generatur: huius autem duplex est ratio, nam vel naturalis est, vel ex aliorum humorum assatione conficitur, naturalis est qui ex crassiore parte alimenti in hepate & corpore naturaliter habente fit, eam habens ad sanguinem proportionem, quam ad oleum amurca aut ad vinum fex: frigido & sicco temperamento, vt secundo de diff. feb.5. alter verò, ex humorum assatione generationẽ accipit, quoties hi nimio & diuturno calore perusti, in cineritiam veluti quandam substantiam vertuntur, vt Galen. tertio progn.29. ex qua putrescente, quartanam etiam fieri asserit. Hanc

humoris speciem bilem atram vocat, fit autem tripliciter. Primum vbi sanguis immodico calore ferbuerit. Huius enim crassior pars assata in atram mutatur, ex qua carbunculi etiam fiunt, vbi in cutem decumbens putrescit, vt in lib. de atra bile cap. 4. tenuior in flauam degenerat, vt secundo de cris.12.& 2.de diff.feb. 9. Fit quoque melancholico succo superassato, priore deterior. Omnium autem pessima quæ ex vsta bile generatur, vt declaratur in li.de atra bile ca.3.&tertio aph. 22. & primo prorrhet. 4. Ex his omnibus quartana febris accēditur: verū hęc spuria est, nec vnquam ferè ab initio inuadit. Sed aliis solet succedere, vbi ex longa febris perseuerantia humores assari eosque in venis retineri cōtigerit. Quòd quidem plerúmque solet euenire, si in autumnum vsque febris producatur: qui frigore & temperamenti inæqualitate humoris excretionem impediat. Hic rursus in corpore permanens, cum in naturalem statum regredi non possit, calefactus putrem quandam recipit affectionem ex quo primum erraticam febrem excitari necesse est, idcirco quod diuersorum humorum plures reliquiæ inæqualiter accenduntur, aliis enim partibus mouentur, & in partes sentientes transmittuntur, putrent, & febrem excitant, aliis verò neque mouentur, neque putrefiunt, sicuti varia & inæqualis est in sanguine partium substantia, ex quibus vna altera promptius assatur, & putredinem acquirit, ab his inordinatę febres excitantur, donec qui inæqualiter afficiebatur sanguis, parem vnde

quaque dispositionem acceperit, & superante atra bile, quartana febris consistat, vt tertio progn. 29.

Verùm neque existimare oportet ex sola flaua bile superassata, vnde perniciosissimum atræ bilis genus efficitur, quartanam generari, cum ex eius assatione tam modicæ reliquiæ supersint, vt febrẽ putrescentes minimè possint accendere, vt Gal. vlt.ca.2.de diff.feb.in fine innuit. Cuius rei duplex est ratio, tum quod huius humoris exigua sit quantitas in corpore, tum quod adeo tenuis sit substantia, vt feruefactus & ex putredine attenuatus, ab ipso calore in ambientem facilè dissipetur, minima vel nulla excrementi portione remanente, quæ quidem tam prauæ qualitatis est, vt partes in quibus collecta sit, aut in quas vehementius deferatur, potius exulcerare, quam putrescens quartanam febrem excitare possit.

Cum autem ex atra bile febrem hanc generari dicimus, intelligi volumus illam quę ex assato fit sanguine, qui paulatim longa caloris actione exsiccatus, maxima sui parte in hunc humorem vertitur, sicut in longis febribus continuis videmus accidere, vt Hipp. docuit tertio prog. 29. hoc sanguine aliquam etiam flauæ bilis & pituitæ portionem primo contineri par est, quæ vnà cum ipso in atram bilem degenerat, ex quibus simul putrescentibus, quartana febris accenditur. At ex assata pituita, quartana febris nunquam excitabitur, cum ex ea bilis atra generari

non poſſit:licet Auicennæ & Rhaſi ſecus viſum ſit, quorum hic 18. contin. cap. ſecundo,ille prima quarti tract. ſecundo cap. de quartana aſſerit ex pituita aſſata putreſcente febris hoc genus accendi, cum torrefacta in atrum humorem degenerauerit, quod quidem à Galeni ſententia diſſentire videtur, in libro de atra bile cap. 3. & tertio aph. 22. & 6. aph. 53. vbi omnes ſpecies eius humoris enumerat: quin & tertio de lo. cap.7.aſſerit ex pituita melancholicum morbum gigni non poſſe & 6. aph. 56. expreſſe affirmat, ob humorum differentiam, furorem ex pituita etiam aſſata non poſſe induci, quod tamen neceſſe eſſet euenire, ſi in atram bilem verteretur.

Verum adducitur inſtantia, quòd quandóque pituitoſis febribus ſuccedat quartana, & quod frequentiſſimè puerilis ætas hac infeſtari ſoleat. Idcircò diſtinguẽdum clarius. Sola pituita,&quæ pura,& minimè putrida eſt, in atram bilẽ, aut immodico calore aut frigore mũtari non poteſt, ſed potius craſſior & glutinoſior efficitur, quod Galenus declarat ſecundo prog.com. 46. vbi aſſerit candidam excretionem glutinoſam & rotundam, propter pituitam aſſatam fieri. Idem etiam declarat in lib. de tumoribus præter naturam, cap. 9. vbi alterum ſcyrrhorum genus ex craſſa & glutinoſa pituita fieri ait, non ex commutata in atram bilem. Declarant hoc quoque ſtrumæ, tubercula,& nodoſi tumores, qui in articulis generantur, ex frigore verò concreſcit pituita, in

gelu veluti consistentiam, qualem per os excerni quandóque vidimus.

Si salsa sit ob admistionem flauæ bilis, frigidiore parte, & liquidiore resoluta, quod biliosum inest vstione in atram conuertitur.

Si putrida, terrestres aliquas reliquias ex assatione superesse necesse est, quæ licet paucæ sint, temperie tamen humoris melancholici naturam imitantur, vt secundo de diff. feb. vltimo. Licet verè melancholicus humor dici non possit. Hoc innuere fortasse videtur Gal. 7. aph. 43. in fine dũ ait, nisi quis dicat ex putrefactione pituitam in bilem degenerare. Quæ autem pituita in sanguine continetur, cum potentię talis sit, & pituitosus sanguis potius dici debeat, diuturna caloris assatione in atram degenerat: vnde fit, vt pueris frequentior eueniat quartana, & quotidianis febribus succedat.

Hæc est quartanæ febris materia. Verùm duplex est huius febris ratio, nam aut exquisita est, & sincera, aut notha, mendosa, & minimè legitima, quod etiam aliis febribus euenire diximus. Exquisitam illam vocamus, quæ ab exquisito & sincero humore melancholico generatur, quem etiam sanguinis limum & subsidentiam esse diximus. Quæ verò exquisita non est, duobus modis fit, nam aut ab atra bile generatur, superassato in venis sanguine vna cum reliquis humoribus, qui in ipso continentur, aut vbi melancholicus humor putrescens sincerus non sit sed alterius aliquam portionem admistam habeat, bilis scilicet,

aut pituitę. De exquisita primum agendum est, cuius comparatione reliquęcognoscentur, quam à naturali melancholia generari diximus.

Hunc humorē augēt in corpore cibi naturacrassi, quales sunt ex carnibus aprinæ, caprinę, leporinæ, bubulę, & salitæ omnes. Ex oleribus brassica, ex leguminibus lens, panis furfuraceus, caseus vetus, limaces, vina nigra, & crassa, pręsertim si forte fortuna in corpore supercalefacta fuerint: vt Galen. 3. de loc. cap. 7. cœli status insuper anni, tempus inęquale, regio, huius morbi ferax, natura præterea melancholica, & ætas inclinans.

Quartana his signis internoscitur, quę quidem cum ipsi accidant, morbi symptomata esse dicuntur, à propriis fontibus emanantia. Hæc vt faciliùs animo concipiantur, ordine explicanda sunt.

Primnm itaque contingit oscitatio, pandiculatio, tum molesta quædam totius corporis inæqualitas, paulò post horror, vel leuis rigor accedit, non pnuctionis aut acrimonię sensum exhibens sed frigoris, qualis in vehementi hyeme refrigeratis solet accidere, vna cū concussione quadam vniuersi corporis ad ossa vsque perueniens vt confracta videantur, vt secundo de cris. tertio. Infestissimus est, quandóque duas horas integras perseuerat, & sæpenumero dentium grauis stridor adiungitur, procedente morbo, & vbi materia attenuata sit, in rigorem apertiorem mutatur, non tamen perinde ac tertianarum vehemētem. Huic calor succedit modicè aceris & feruidus vn-

de nec multa sitis vrget, nec magna est inquietudo. Pulsus parui, tardi, rari, & inęquales ob materiæ frigiditatem, & grauitatem, præsertim circa initia accessionum paruitas, & inæqualitas in quotidiana maior, ob copiam materiæ & languidiorem calorem, tarditas vtrísque eadem: at raritate quartanę superant, vt Galen. ad Glauc. cap. 7. Cum autem augentur atque consistunt, veloces quidem fiunt & frequentes, sed ita vt tarditas & raritas retineatur perspicua. Verùm inæqualitas febrium omnium propria & quæ in vno pulsu est, in hac euidentius apparet: vt primo ad Glauc. sexto cum arteria multo velocior sit in principio & fine sui motus quam in medio, quæ quidem intermissionis etiam tempore animaduertitur. Collectio verò in quotidianis magis perspicua, de qua 12. meth. 3. ob id secundo de cris. quinto ait nullum esse ordinē, nullam æqualitatem quotidianarum pulsibus. Vrinæ spectantur tenues, albæ & aquosę, & variæ omninò, sed crudæ, & vt in materia crassa percolatæ. Progrediente verò morbo coloratiores redduntur, & crassam habentes subsidentiam: vt etiam Aët. ca. 85. lib. 5. Paroxysmus horas decem & octo, non raro viginti quatuor, aut etiam plures occupat, atque in sudorem desinit circa initia modicum, largiorem, vbi attenuata materia sit, & morbus processerit, ex quo fit, vt soluta accessione, nihil semiustum, nihil fumosum relinquatur, quod intermissionem impuram faciat, secus quam in quotidiana accidere diximus vt etiam Galen.

nota-

notauit 2.de diff.feb.5.quod quidem ob materiæ ſiccitatē euenit:ſupereſt tamen pulſuum inęqualitas putridis febribus propria, tarditas & raritas maior quam ſecundum naturam: vt primo ad Glauc. 6. porrò longitudinis acceſſionum cauſa in humoris copiam,& qualitatem,virium robur, aut imbecillitatem, nec non ægrotantis corporis diſpoſitionem, rarā aut denſam referenda eſt. Inſpicienda quoque&extrinſeca ſigna, ægrotantis natura,ſi in ea melācholicus humor abundat, ſi ætas inclinet,ſi anni tēpus autumnale ſit,ſi inęqualis aeris cōſtitutio,ſi loci natura horum morborum ſit ferax, ſi erratica febris anteceſſerit, ſi lien intumuerit,ſi quartanæ febres per id tempus populariter vagentur. His ſignis exquiſitam quartam internoſces.

Quòd ſi ex his nonnulla defuerint, aut multa, aut certè præcipua,nequaquam exquiſitam iudicabimus,& eò minus quò plura alterius humoris indicia fuerint.

Fit etiam quandóque ex hepatis inflammatione, ſicut ex tumore ſplenis: cognoſcitur hæc quòd aluus reſiſtat, & ſiniſtrum hypochōdrium tumeat, faciliorque ſit in ſiniſtrum latus decubitus.

Ex hepate quaternarij toto corpore tumidi & albicantes ſunt,vrinæ illis rubeæ ſandarachę colorem referentes, tumor dextri hypocondrij occurrit,difficilius ſpirant, ſubtuſſiunt, & in hydropem ineuitabilem labuntur vt Aët.ex Ruffo lib. quinto cap. 85.

Prognostica.

Quartana à principio vix ſolet inuadere, ſed aliis febribus ſubſequi, quæ errabundæ fuerint, præcipuè verò ſpuria, cùm ab humoribus exaſſatis, & in atram bilem mutatis fiat, neque ſine lienis vitio contingit vt i. ad Glauc. 5.

Præterea quo ſincerior eò longior, ſicut & quotidiana, vt primo ad Glau. 8. ſi æſtate contingat, breuior. Si autumno, longa, & eo magis, quo propius ad hyemem acceſſerit: vt ſecundo aph. 25. breuiſſima ferè in tertium menſem producitur, aliàs in ſextum, aliquando in annum, aut vlterius, ſi praua victus ratio acceſſerit. Auicenna ſecundo tract. primę fen. quarti cap. proprio: ad duodecimum produci quandóque ſcribit. Verùm quæ diuturna eſt, ſæpe perducit ad hydropem.

Omnium autem febrium longiſſimam, facillimam & quantum in ipſa eſt ſecuriſſimam aſſerit Hipp. primo epid. comment. tertio tex. 4. & à grauiſſimis morbis vindicare, quam ſententiam confirmat Galenus morbi comitialis exemplo, tum ibidem, tum ſexto eiuſdem libri ſect. ſexta tex. ſeptimo vbi aſſerit, quartanam, comitialem morbum arcere, aut cœptum, aut imminentem. Idem quoque probat Hipp. exemplo conuulſionis. Qui quartana corripiuntur inquit quinto aph. 70. non admodum conuulſionibus tentantur, quod ſi prius conuulſio inuaſerit ſuper-

ueniente quartana liberantur. Idem etiam de melancholia morbo intelligendum eſt, vt monet Auicenna.

Quartanas plerumque comitatur lienis tumor, à quo longiores fiunt, & plerumque in aquam inter cutem deſinunt, quæ verò abſque lienis tumore inuadunt, ſalubriores, periculoſiores in ſenectute, quam in alia ætate, ob viſcerum ſubſequentem cachexiam. Hinc natum prouerbium, quartanam iuuenes quidem ſanare, ſenes autem necare. Verùm quodcunque periculum inſequatur, non in quartanam referri debere Galenus exiſtimat, ſed in prauos viſcerum affectus ſuperuenientes.

Diuturnior, quæ intumeſcente liene, quàm quæ affecto hepate, vt Aët. ex Ruffo, vtríque tamen aqua intercus imminet. Præterea Hipp. ait in lib. de natura hom. in fine, fieri quartanam maximè autumno, & à 25. anno ad quadrageſimum quintum, quod ſi extrà hoc tempus & ætatem ingruat, breuem futuram, niſi quid grauius contigerit.

Aetius, Hippocratis teſtimonio aſſerit eundem hominem in quartanam bis non incidere, ſi ſemel ſanus fiat. Locum autem Hippocratis non adducit.

Ad genus quartanarum longiores periodi referuntur vt inquit Paulus lib. ſecundo cap. 22. ſi quę tamen longiores periodi ſint. Hipp. enim quaſdam quintanas eaſque peſſimas facit, aliàs ſeptimanas, longas quidem, at non læthales. No-

nanas alias cæteris longiores, quamuis nō lethales, primo epid.com.3.contex.7.& deinceps.Gal. verò lib.3.com.3.com.64.hæc non esse Hipp.ait sed alterius, qui propria inseruerit. Fatetur enim hos circuitus se nunquam perspicuè vidisse primo de differen. feb.quinto. At Auic. tract. secundo primæ fen. 4. cap. penul. & Rases 16. & 18. continentis secundis capitibus hos circuitus febrium agnoscunt, & Rhases adhuc rariores, vt qui quolibet mense repetant, fieríque à materia melancholica, pauca, & crassissima, quam exusta crassior pituita generauit, sicut ex crassiore pituita, quæ epialem facit, diximus quandóque repetere tertianos & quartanos circuitus: & Philonium refert se vidisse hominem qui annis triginta laborauerit febre quæ semel tantum singulis mensibus inuadebat, & singulis triginta diebus, & Plin. lib. 7. cap.51. refert Antipatrum Sidonium poetam omnibus annis vno die tantùm, eoque natali, febre corripi solitum. Hanc febrem anniuersariam vocant, & Mecęnatem tota vita perpetua febre laborasse, & supremo triennio nunquā dormisse. Gal.autē refert has periodos in prauā victus rationē, & in reliquias prioris morbi 1.epid.com.3.com.7.tamē in lib.de typis ca.4. hos circuitus videtur admittere: verùm liber ille spurius est, nec Gal.doctrinam sapit.

Si accessio eadem hora repetat, quacunque desinat, difficilior est feb.vt Hipp. 4. aph. 30. ob id vulgo etiam dicitur bene sperandum esse, vbi febris variè inuadat.

Soluitur quartana quandóque vrinis craſſis, aliàs albis, aliàs nigris, menſtruis fluentibus, aut hæmorroidibus, profluuio ſanguinis narium, abſceſſu in crura, quales ſolent accidere ſi cauſa morbi frigida ſit, & vires validę, aut cauſa quidem calida, vires infirmæ, vt Galenus 3. progn. 26. frequentiſſime vero repetitis largiter ſudoribus in ſingulis acceſſionibus.

De quartanæ curatione. Cap. XIII.



Vrationis maxima pars in victus proba ratione conſiſtit contra quã vulgus opinetur, cui nihil interdici perſuaſum eſt. Vt autem rectè inſtituatur ſciendum eſt duplicem indicationem oriri in huius febris curatione, ſicut & in cæteris putridis, quarum altera à febre, altera ab humore ſumitur. Hę inter ſe diſſentiũt, nam febris refrigerandum indicat, humor cũ frigidus natura ſit, calefaciendũ. At maior indicationis vis ab humore quam à febre ſumitur, in febre mediocris calor, longa intermiſſio, humor frigidus eſt & ſiccus, naturæ infeſtus præ cęteris, qualitate & mole vires opprimit, viſcerum temperiem lædit, ex quo fit, vt noua continuo genita materia diutius morbum foueat, vt Galen. docet ſecundo de differen. feb. vltimo: nam conſentaneum minime eſt, tantam ſemel congeſtam eſſe humoris copiam, vt in plurimorum menſiũ acceſſiones ſufficiat, pręcipuũ igitur medici cõſiliũ

ad cauſam morbi dirigitur. Verùm in ea auferenda duo ſcopi conſurgunt, alter eſt vt congeſtum humorem educamus, alter vt viſcerum emendata temperie, nouæ in poſterum cauſæ generatio prohibeatur. Humor cum natura grauis ſit, & contumax, educi non poteſt imparatus & incoctus: concoquitur autem ſi in quandam ſubſtantiæ & temperamenti mediocritatem reducatur. Hęc enim eſt vitiati excrementi concoctio. Cum autem frigidus ſiccus & craſſus ſit, calefacientibus & humectantibus temperabitur, incidentibus attenuabitur, his remediis humoris peruicacia miteſcet, & facilior erit excluſio.

Verùm cum temperies viſcerum ad frigidum lapſa, morbi continuo nouam cauſam melancholiam ſcilicet naturalem aggreget, iiſdem medicamentis calefacientibus corrigetur: niſi ab exurente calore atra bilis genita ſit. Huius enim alia habenda ratio eſt.

Hæc eſt vniuerſalis quartanæ curatio, reſolutione inuenta, & in proprios ſcopos diſtributa, quibus rurſus quomodo particulatim vti conueniat, ſubiectis ordine remediis ſeriatim explicabimus, hoc vnum prius monentes.

Cum quartana clementer agendum eſſe initio, neque purgatoriis medicamentis aut incidentibus valde ſeu concoquenti bus naturam irritandam, ne tenuiore humoris parte abſumpta, aut diſcuſſa, reliqua contumacior euadat: aut ſi euacuationem tentaueris, cum medicamento non obſequatur pro inutili vtilis effluat, à quo

humoris nequitia mitigabatur, & ne medicamenti exagitatione, qui prius probi erant, prauis commisti vitiosi reddantur: vnde ex miti quartana difficilior, aut ex simplici duplex, vel triplex, aut etiam continua, ex intempestiuo remediorum vsu fiat.

Victus igitur instituatur huiusmodi.

Aer quouis tempore ad calidum & humidum inclinet, sunt enim hac febre laborantes frigoris impatientissimi.

Labor cibum præcedat, ita tamen, vt citra fatigationem sit: exercitij vicem nõnumquam supplebit matutina frictio, vbi morbi sæuitia, aut virium infirmitas exercitationem non ferat, prius tamen communibus excrementis eiectis. Quod si mitior sit febris, intermissionum diebus ad consueta redeat munia: vt Galenus primo ad Glaucum.

Cibi conueniunt quotquot humorem crassum, frigidum, viscidumque non gignunt, neque flatulenti sunt.

Panis purissimus sit, diligenter subactus, ac probe fermentatus, minimè durus, crusta, præsertim assata, inutilis est.

Carnibus hædinis vescendum, aut vitulinis, gallinarum, caponum, columborum quoque iuuenum, perdicum phasiani, & reliquarum auium nemoralium: interdicantur quæ in lacubus aut paludibus degunt, vt anserum & anatum, bubulæ quoque & suillæ, quod ægrius concoquantur, eoque nomine crassiorem succum generant,

damnantur carnes leporum,&omninò ſilueſtriũ omnium quadrupedum.

Piſces friabili carne, vt qui ſquammoſi in aquis mundis victitãt, & ſaxatiles concedantur: modo apparatu inutiles non fiant, torreantur in craticula, aut ex aqua & vino elixentur, aromatibus, ſapa, vel ſaccharo modice condiantur, adiecto oleo: ſunt autem huiuſmodi gobii, menæ, aſelli, muli, auratæ, ſardæ ſalares, & cæteri huiuſmodi: qui verò aut durioris carnis ſunt, aut molles, aut qui in immundis aquis capiuntur, vt anguillæ, tinchę, murenæ, ciprini, albi, ſquali, canum genera, & pręterea oſtracoderma, damnantur.

Ouorum ręcentium, eorumque tremulorum viteli, aprimè conueniunt.

Caſeus omnis inutilis, & eò nocentior, quo ſenior.

Ex fructibus conueniunt poma dulcia, optimè cocta ſaccharo vel aniſo reſperſa. Pruna item dulcia, & vuę exacinatæ, caricæ pingues. Hæ enim prima menſa ſumptę aluum emolliunt, pinei nuclei, amigdalæ, piſtachia, æſtiui quoque fructus omnes, ſi ſaccharo vel melle prius condiantur.

Suſpectæ ſunt nuces, auellanæ, & præ cæteris caſtaneæ.

Hordeatum, amigdalatum, panis mica in iure carnis friata, aut macerata, laudantur: in iuſculis coquatur borrago multa, aut etiam ſpinachia, quãdóque & beta, pręſertim vbi aluus adſtricta ſit hiſſopo, mentha, & aliis odoratis vti licebit, præcipuè vbi hyemis intemperies affligat, con-

ceduntur allia, cepæ, porri, modo parcior eorum ſit vſus, quod craſſos humores incidant, & cauſæ rationes habeant. Damnatur acetum, quod melancholicis aduerſiſſimum ſit, vt tertio de ratione victus. com. 38.

Aromatis minus acribus pro condimentis vtẽdũ, & parcius cinamomo, caryophillis, nuce muſch. & croco etiam, niſi dolor capitis vexet. Gal. Salſamentorum vſum recipit, & ſinapis. Verùm neque dum veterum ſalſamentis careamus, quibuſuis rebus ſale conditis vtendũ eſt, non. n. bubula, aut ſuilla, aut glutinoſis piſcibus: aut in ſumma iis quæ craſſum ſanguinem gignunt, aut nimiũ ſiccant, aut viſcidam materiã relinquunt: nã ideo ſalſamenta imperantur, quia ſal incidit, attenuat, diſcutit excrementa ſiccat, & virtutem colligit, parcior autem horùm ſit vſus, ne copia humorem melancholicum augeat. Conceduntur igitur oliuæ paucæ, capares ſaliti, & alia huius generis.

Potus ſit vinũ tenue, album & mediocriter calidum, vt Gal. præcipit, nam quod tale eſt, frigidũ humorẽ temperat, craſſum attenuat, ſiccũ humectat, & aluum emollit, diluatur modice, quantum ſobrietas patitur: aut pro vino, aqua cinamomo, aniſo, feniculo, vel pipere condita vtatur, vt Galeno præcipit: cibi quantitas tam larga eſſe debet, quantam morbi longitudo exigit, inter initia liberalior, circa ſtatum parcior, ne natura à coctionibus diſtrahatur, ita tamen vt neque in principio cruditatis, neque in ſtatu

exolutionis virium ſuſpitio ſit,quod ſi ſucculentum ſit corpus, tenuior aliquanto vitę ratio primis quindecim diebus vtilis erit, vt innuit Auicenna.

Quo die febris affligit nihil ſumēdum cibi eſt, niſi vbi febris declinauerit,aut ſi quid dari corporis neceſſitas cogat, id perexiguum ſit, & liquidum vt iuſcula, & ſorbitiones acceſſionemque horis ſex præcedant.

Somnus liberalius indulgeatur, vt crudis humoribus concoctio concilietur, & ſiccitas temperetur: modo neque meridianus ſit, neque in acceſſione ante declinationem.

Coitus omninò vitandus, quòd corporis ſiccitatem augeat.

Animi accidentia omnia, excepta lætitia vitentur: quæ modis omnibus concilianda eſt, triſtitia omnium maximè explodenda.

Aluus perpetuo lubrica ſit, quòd ſi in principio reſtiterit, conſuetis & familiaribus remediis ſubducatur, vt iubet Gal. primo ad Glauc. familiaria ſunt quibus in cibis vtimur, vt beta ſpinachia pruna dulcia, paſſulæ, caricæ, quod ſi hęc non ſufficiant, mollioribus clyſteribus erit vtēdum, qualia ſunt quæ tantum vim habent ſubluendi, nihil quod vel mediocriter attrahat cōtinētia. Huiuſmodi ſunt quæ ex ſolo decocto emollientium herbarum parantur, cui mel violatum, & ſaccharum rubeum adiungitur: vt inhærens inteſtinis pituita detergatur, inſuper oleum, quod vim emolliendi auget, additur autem ſalis momen-

tum, vt vis expletrix inteſtinorum irritetur, quæ etiam communia vocant, quibus additur ℥i. caſſ. re.ex. vt fælicius educat.

Maximè verò emolliens eſt qui ex oleo communi ſalis experte fit, cuius meminerunt Hipp. & Gal. quarto de ratione victus tex. 107. ſed eorum tunc eſſe ſolet vſus cum feces admodum exiccatæ fuerint: vbi morbus præceſſerit, acrioribus vtendum. Suſpectus autem eſt Galeno medicamentorum vſus à principio, tamẽ noſtris temporibus lenitiua ſolent vſurpari, quæ vel admodum leuia eſſe oportet, vel ab eis omninò abſtinendum.

Primum igitur molliens clyſter iniiciatur huiuſmodi.

Rec. decocti quatuor emollientium herbarum lib. 1. mellis viol. ſacch. rub. an. ℥iſ. olei communis ℥iiij. caſſiæ recenter extr. ℥i. ſalis parum, fiat clyſter, iniiciatur.

Quod ſi quis enema recuſet, ſumat infra ſcriptum medicamentum.

℞. pulpæ caſſiæ rec. ext. ℥i. ſyr. de ſucco borrag. ℥ſ. ſeri caprini ℥v. fiat potio, ſumat hora ante prãdium. Hoc lenitiuum maximè conueniens eſt æſtate, Hyeme verò. ℞. cath. ℥i. diſſoluatur in decocto paſſ. vel florum borrag. cui adde cinamomi ℈ſ. ſenæ orien. ʒiſ. fiat potio, ſumatur hora ante prandium. Alioqui ex iuſculo pulli alterato cum multa borrag. bugloſſo & endiuia iuri infundimus ſenę ʒij. & iuſculum percolatum: exhibemus. Eductis communibus materiis ſi venæ

permultam crassi sanguinis copiam continere videantur qui ad melancholici naturam accedat, aut multum eiusdem humoris immistum sanguini, si gracile corpus est, si venæ turgidę, si suppressa aliqua solemnis purgatio, vena secanda est interior sinistri brachij, & lata venæ diductione sanguis mittendus, neque enim in venæ sectione tanta requiritur coctionis religio sicut in purgatione: causa est, quoniam sanguinis euacuatio attractione non fit, sed aperta vena qui in ea continentur humores sponte effluunt. Iubet tamen Auicenn. emitti sanguinem vbi concocta sit materia, quam insequuti sunt aliqui, verùm huic sententiæ obstat Galeni locus primo ad Glauc. & adducta ratio. Si itaque sanguis niger exeat, pro virium ratione, & sanguinis multitudine detrahatur, quòd si tenuis & flauus effluat, mox clausa vena sanguinis fluor supprimatur, ne inutiliter vires deiiciantur. Quibus verò lien male afficitur, melancholici humoris copia inesse solet, quod quidem idcirco contingit, vel quia hunc humorem attrahere nequeat, vel attractum excernere: vnde fit vt leo in vniuersum corpus distributo, crassior reddatur sanguis, venæ nigricantes fiant, & tumidæ si sanguis exuperet, quibus etiam indiciis cognoscitur an vtilis futura sit sanguinis missio. Secunda verò interior vena, vel media sinistri brachij, aut saluatella, si viribus metuamus, nisi forte vitio hepatis quartana contigerit, vt notauit Aetius, tunc enim ex interna dextri brachij sanguis edu-

cendus. His factis morbi materia paulatim concoquenda est, & apparanda, tutior autem videtur futura purgatio, si morbus antea aliquantulum processerit, nisi materiæ copia vrgeat.

℞. oxym. simp. ℥iſ. syrup. de succo borrag. ℥ſ. aquarum buglossi, lupul. an. ℥ij. misce fiat syrup. Sumatur in aurora, calidus, repetatur diebus viginti, ob humoris peruicaciam. Interea, mollis sit aluus, vacuetur deinde hoc vel simili medicamento.

℞. catho. ℥i. confection. hamech, ʒiſ. syr. rosſ. sol. ℥i. decocti cordia. q. s. cui adde senæ ori. ʒij. seminum anisi ʒi. fiat potio quæ posteriore die quietis sumatur: conseruę flo. buglo. ℥ſ. sumatur postero die mane tempestiuè. Neque hæc cum Gal. pugnare videntur, nam vetat medicamentũ omne forte à principio, & ita quod forte non est, permittere videtur.

Interpositis deinde diebus aliquot, iterum purgandus est, pręparata tamen prius materia, verum interea vtatur alternis saltem diebus confectione diatrion pepereon, vel diaspolitico ad ʒij. vel iij. mane vt iubet Gal. 1. ad Glauc. compositionem vtriusque medicamenti docet idem alterius quidẽ 4. de sanit. tuen. cap. 5. alterius verò quod diaspoliticon dicitur 6. eiusdem ca. x. Cum autẽ vtraque cõpositio duplex sit, vtra vtẽdũ sit, docet: primo n. à simpliciore incipiẽdũ est, quòd si hęc medicamẽta parari nõ possint, pro his vtatur singulis diebus solo pipere cũ aqua, vt sumẽdo piperis

primum ℈ſ. cum ℥iij.aquæ, deinde etiam pluſculum, pro ratione intemperiei ventriculi: aut ſequenti compoſitione: quæ ℞. ſpecierum diatrion pipereon ʒi. ſpecierum trium ſandalorum diamuſci dulcis, ſpecierum lætitiæ Gal. an. ʒſ. ſacch. albi diſſoluti in aqua bugl. q.ſ. fiat confectio in orbiculis ponderis ʒiiſ. ſumatur vnus ſingulis diebus duabus horis ante cibum mane, & alter veſperi, vbi aliud ſumendum non ſit. Elapſis itaque diebus aliquot, cum febris contumacia reſiſtat, præparanda rurſus materia eſt, fortioribus ſyr. vbi iam coctionis ſigna apparent.

℞. oxym. comp. ſyr. de epithyma an. ℥i. decocti infra ſcripti ℥iiij. quod ℞. rad. appij, fen. ruſci corticum rad. capp. an. ℥i. capil. vener. cetrach. melliſſę, an. m. 1. ſem. aniſi ℥ſ. bulliant & colentur, repetantur ſyr. diebus ſeptem: vtiliores erunt, ſi aromatizentur ſinguli ℈ſ. cinamomi electi: vtiliores quoque ſi decoctio fiat in aqua ferrata. Poſtero intermiſſionis die medicamentum hoc exhibendum eſt, vel ſimile. ℞. pill. indarum, de lapide Lazuli an ℈i. pill. aggreg. ℈ij. cum aqua bug. fiant pillulæ numero quinque ſumantur horis duabus ante diem vel hoc.

℞. paſſ. mund. ℥i. flor. borrag. & bug. an. pug. 1. ſenę orien. polyp. quercini an. ℥ſ. ſemin. aniſi ʒij. bulliant in ſero lactis capræ, & colentur, in colatura maceretur per noctem: corticum mirab. emblic. & ind. an. ℥ſ. & mane fricentur, & colentur, adde pulu. ſenæ & epithymi an ʒiſ. ſyr. de ſucco borrag. ℥ſ. fiat potio. Sumatur in aurora vel

loco pulueris diſſolue confect. Hamech ℥iij. His peractis, ſi coctionis ſigna perſpicua ſint, & inſtet morbi ſtatus, parcior ſit victus ratio, & maior quies, viſcerum quoque ſolicitudo habeatur topicis remediis, foueantur & molliantur, præſertim vbi Lienis durities adiuncta ſit, huius autem affectus remedia proprio loco docentur: inungatur igitur ventriculus & hypocondria oleo abſinthij, de ſpica, chamęm. fomenta adhibeantur quę molliant, & roborent viſcera, qualia ſuperius in curatione tertianæ nothæ diximus: lieni quoque propria fomenta ſunt adhibenda, & emplaſtra ex ammoniaco meliloto, arthanita, aut vnguenta paranda in eundem vſum, vomitus à cæna commouendus pridie acceſſionis: in cæna eſitentur ſalita & pinguia, vt faciliùs materia reiectioni obſequatur. Sumatur aqua decoctionis ſem. atriplicis, & raphani, ſem. & rad. aſſari, flo. anethi, cui ſyr. acetoſi ℥ij. miſceantur, & tepidum ſumatur, digitóque immiſſo in gulam, & penna oleo illita, nauſeam irritabis. Quod ſi quis ad vomitiones ineptus ſit, largius ei aluus ſoluenda eſt, neque vomitoria remedia fruſtra imperanda. Auicenna vomitum pręcipit ante cibum poſt cibum, ante acceſſionem, & initio ipſius: commodiſſima hora videtur ad vomitiones ea, in qua materia commota eſt, vt initio paroxyſmi, aut in qua facillimè obſequitur, vt iam cœnatis.

Propinanda deinde ſunt, quæ vrinas & ſudores prouocant, & atros humores eiiciunt.

℞. radic. quinque communium macer. in aceto

tepira

Ad vom

Vomitor

an.℥ſ. capill. ven.cetrach, calamenti, bugl. cum rad.an.m.1.abſinth.m.ſ.paſſul.mund. ℥i.rad. aſſari ʒij.flo.geniſtæ borrag. & bugl. an. p.1. bulliant,& colentur,de colatura. ℞. lib.ij. cui adde aceti paſſulati ℥ij.mellis & ſacch.an. q.ſ.clarificetur, & aromatizetur ʒiij.cinam.elect.ſumat ℥vi. mane,repetat diebus ſeptem. Deinde exhibeatur medicamentum purgans huiuſmodi.

℞. Cath. ℥i. confect. Hamech,ʒiiiſ. ſyr. de epithimo ℥ſ.decocti cordial.q.ſ.cui adde ſenę orien. polyp.quercinij an.℥ſ.ſ.aniſi ʒii.fiat potio,ſumatur in aurora pridie acceſſionis poſtridie vero mane ſumat hunc bolum.

℞. ther.& conſeruæ rad. bugl.an. ʒi. fiat bolus. Aliqui ſolum decoctum abſynth. propinant poſt purgationem, & vbi acceſſionum ſymptomata remitti cæperint,ad ℥iij.vel iiij. cum modico cinamomo. Aliqui vtiliter decoctum quaiaci, vt vrinas & ſudores moueant.

Interea clyſteribus acrioribus reſiſtens aluus irritanda eſt, vt quæ recipiunt in decoctionis materia furfures, chamæ. anethum, ephit.folia ſenę,& huiuſmodi, in decocto diſſoluimus hieram vel Gal.ſimplicem:vel compoſitam,aut elect.indum diaphen.vel aliud tale.

Eodem tempore ſummopere laudatur à Galeno vſus theriacæ, datur duabus horis ante acceſſionem, in vino tenui optimo diſſoluta, aut in quo folia camedryos vel agrimoniæ cocta vel macerata fuerint: alij exhibent cum aqua cuſcutæ vel calamenti. Verùm cauendum eſt, ne ante ſtatum

ſtatum morbi, aut perſpicua ſigna concoctionis & purgationem exhibeatur, vt Galenus monet, ne agitata cruda materia peruicacior euadat, & morbus ſæuior. Doſis eſt ℥i. vſque ad ij. In eundem vſum commendatur caſtorei ℨſ. ℈ij. aut etiam ℨi. cum aqua calida vel hoc.

℞. Caſtorei, mirrhæ, an. ℨſ. cum ℥iij. vini albi optimi ſumatur duabus horis ante acceſſionem, aut bituminis Iudaici tantundem, vel quod ſequitur.

℞. ſucci ſummitatum abſinthij ℥ij. ther. antiquæ ℨi. vini albi generoſi ℥ſ. miſce ſumatur duabus horis ante acceſſionem: idem erit vſus Mithridatij, & aureæ Alexandrinæ, ſingulariter tamen à Galeno theriaca commendatur.

Omnium autem maxime probat id medicamentum quod ſuccum cyrenaicum recipit, eſt enim quartariis præſentaneum remedium: huius medicamenti compoſitionem deſcripſit Aet. lib. 5. cap. 84. in hunc modum.

℞. ſucci cyrenaici, piperis mirrhæ, fol. ruthæ viridium, ſingulorum æquales portiones, ſingula ſeorſum vſque ad leuorem teruntur, & ruta melle trita excipiuntur, fiuntque pillulæ de quibus ℈i. alias medius exhibetur incipiente rigore hoc enim præſtantiſſimum remedium aduerſus rigorem aſſeruit eſſe, lib. de rigore. cap. 7.

Inſtante acceſſione conueniunt illitiones ſpinæ dorſi, ſcapularum, & bracchiorum, ne contingat lapſus in paralyſin, vt ex frigido humore in neruos defluente quandóque ſolet euenire, &

vt horroris iniuriæ occurratur.

Fiunt autem ex oleo chamelino, anethino, cheirino, irino, rutaceo, coſtino, laurino, nardino, de piperibus, de caſtoreo, vnguento aragon, aut martiaton, calidis, & ad luculentum ignem. Probatur quoque hoc ℞. ſucci Rutæ, olei ſcorp. olei de caſtoreo, an. ℥ij. vini maluatici ℥iij. bulliant ad ſucci conſumptionem, & modica cæra addita fiat linimentum.

Accedente iam acceſſione, molli lecto æger componendus, bene contegendus eſt, lateres calidi, vino odoro & tenui profuſi linteolis obuoluti, plantis pedum, genibus, & volis manuum admouendi, & omninò contra frigus muniendus, à ſomno tamen interea arcendus. His remediis horroris ſeuitia mitigabitur, calor citius emerget, & ſudor prouocabitur. Laudantur quoque hoc tempore pridie acceſſionis balnea, ex decocto chamem, melliloti, fenic, pulegii, Meliſſę, origani, ſtechadis. A balneo egreſſus ſumat theriacæ ʒi. cum ʒiſ. conſeruæ flo. borrag. in molli deinde lecto, & calido compoſitus dormiat & ſudet, hoc remedio humores attenuantur, & digeruntur. Præterea ſummopere confert (vt crebra experientia docuit) ſi circa eadem tempora venæ hæmorroides aperiantur, vt quod feculentum ſanguinis reſiduum eſt, ea parte commode effluat, ea quantitate quam plenitudinis & ſanguinis ratio exigit.

Corpus, ſi morbi peruicacia reluctetur, rurſus purgandum, vt iubet Gal. medicamento aliquo

melancholiam ducente, vbi tamen prius educendi humores præparati fuerint, vel hac quæ sequitur compositione.

℞.conseruæ rad.appij ℥ij.pulpæ cassiæ rec.ext. ℥iij.fol.senę&epithimi an.℥i.conseruę bugl.ʒvi. sacch.℥ij.fiat compositio, cuius ʒ.v. quotidie sumantur, vbi nihil impediat.

Conferre summopere creditur sub id tempus saluatellæ venæ sinistræ manus sectio, aliis pridie accessionis, aliis in ipsa lunæ coniunctione, aliis in principio accessionis, ita vt quartanas multas se vidisse curatas referant, hoc remedio: vt testatur Philonius, quamuis (inquit) id contra præcepta artis sit, experientia tamen fidem videtur obtinuisse, quemadmodum succus calamenti ante accessionem per horam cum vino sumptus, teste Gord. Puto eam quantitatem exhiberi oportere, qua æger se conualescere sentiat, vt ad ℥ij. vel iij. cum ℥i. vini optimi. Cæterùm distinctio adhibenda est, vt in horum remediorum vsu rationem habeamus naturæ ægrotantis, materiæ, cæli, regionis, & huiusmodi.

Prȩterea cum melācholicus humor pituitæ aut bili immisceri possit, vnde mendosa quartana generatur, sciendum pro humoris admistione curationem immutari oportere: quæ. n. medicamenta hactenus adducta sunt, ad veram & exquisitam quartanam pertinent, quæ quidem frigidioribus temperari oportet, si flauæ bilis putrescentis insignis quantitas indicauerit, aut

illis alia miſcenda, quæ pituitæ rationem habeant, ſi hunc humorem melancholiæ commiſtum febrem excitare coniecerimus, vt exemplis propoſitis clarius oſtendemus.

Superſtitioſa videntur remedia quæ à pleríſque referuntur, arcanam tamen vim continere.

Cor leporis panno obuolutum, & collo appenſum, quartanas curare. Idem ferunt de locuſta collo ſimiliter appenſa: & quæ ab Alexand. Trall. ſcribuntur, ſcarabęum viuum collo appenſum quartanas ſanare, ſi fuluo linteolo firmiter alligatus, collo ſuſpendatur. Hoc quoque quod experientia comprobatum eſſe aſſerit.

Lacertam, inquit, viridem apprehendito, eam vna cùm ſummarum vnguium tum manuum, tum pedum ægrotantis præciſionibus fuluo panniculo iniectis, firmiter alligato, collo appendito, deinde rurſus ipſam dimittito, vbi prius capta fuerat.

Vermiculi item capitulorum dipſaci, ſi folliculo alligati collo aut brachio appendantur, remedio quartanis eſſe creduntur, vt refert Dioſcor. lib. 3. cap. 13.

De plantagine item, quod quatuor plantæ ipſius radices tritæ ex vini & aquæ cyathis quatuor quartanis auxilientur, & tres tertianis, vix enim fide dignum eſſe videtur, pręſertim cum nec ipſe Dioſc. huius remedij vim omninò approbet, ſed in aliorum referat opinionem ſicut de trifolio aſphallitite: cuius tria folia cũ vino aſſumpta

tertianis, & quatuor quartanis ſuccurrere dicuntur.

Sanguinem etiam ferunt qui primo à virgine naturaliter excretus ſit, quartanæ aduerſari, quin & corruptæ ſimiliter efficere, ſi quis ipſum ægro ad carpum alliget. Idem referunt præſtare pilos ex genis hirci euulſos, & febricitanti alligatos. Innumera ſunt talia, quæ longa rerum experientia docuit, quibus etiam vti non abſurdum eſt, cum plurimorum conſenſu vtilia eſſe credantur. Modo quæ remedia ex arte præſcripta ſunt, interea non negligantur.

Fœdum autem & inutile remedium eſt, quod à nonnullis adiicitur, cinices deuoratos ex ouo ſorbili, aut ſi quouis modo ingeri poſſunt, ſex aut octo quartanam explodere: licet à multis vſurpetur.

Noui ego quendam inquit Trall. qui hac ratione vſus quartanam curauerit : mulierem parientem pallio interiore illoto induebat, credo ego id eſſe quod vulgo camiſia dicitur, ægrotantis hac febre poſtea à partu palilum recipiens, ægro rurſus ferendum pręebebat, ac mirabiliter non amplius affligere arcana quadam ratione deprehendebatur.

De quartana continua. Cap. XIIII.

SI melancholicus ſanguis in venis exuperet, aut ſanguini multa melancholia immixta ſit, quæ putreſcens febrem excitet, quartanam continuam generabit, biduo remiſſiorem, quarto quoque die exacerbantem.

Fit autem, vel vbi victus ratio præcedens craſſioris ſanguinis & melancholici copiam ſupra modum auxerit: aut vbi lienis vitio multa melancholia in ſanguine relinquatur, cum eam præ infirmitate non attraxerit, concurrente quoque imbecillitate ſecretricis virtutis. Hęc igitur melancholia ſi ſola quantitate peccet, nigrum icterum gignit, vt in lib. de differ. ſymp. cap. 4. & 3. de cauſis ſymp. in fine, ſi putreat, febrem inducit continuam, quarto quoque die grauius affligentem. Vnde verò huius humoris copia aceruetur, iam explicatum abunde eſt.

Signa præcipua ex quatriduanis paroxyſmis deſumuntur: in reliquis enim partim cum aliis continuis conuenit, partim cum quartanis intermittentibus: verùm in his non percipitur tanta caloris vehementia, quanta in cæteris continuis, cauſa in promptu eſt, humoris denſitas, febrilem calorem ſuſtinens.

Pulſus & vrinæ quales ferè in intermittenti

quartana esse diximus, nisi quod pulsus ob caloris continuitatem & vehementiam, velociores cognoscuntur, & vrinæ coloratiores.

Omnium continuatum longissima atque rarissima censetur.

Longissima quidem ob materiæ naturam: rarius autem incidit vt Galen. secundo de differen. febr. 2. quod non facile contingit tantam humoris melancholici multitudinem in venis aggregari aggregatam retineri, & putrescere. Quòd si contigerit, periculosum esse morbum necesse est. Si enim pernicioso humori vlterior pernicies putredine accesserit, perniciosissimum ab ea morbum gigni oportet. Hoc vnum tamen commodum habere videtur, quod(vt inquit. Celsus lib. 3. capite primo,) cum longus sit, in eo mutationi remediorum & deliberationi tempus pateat: cæterum ob humoris naturam & copiam grauissimus est.

Accidit potissimum inclinantis ætatis hominibus, Autumno, & inæquali cœli statu.

Victus ratio ferè eadem quæ & in intermittenti, incidens, attenuans, & nihil omninò calefaciens, aut aliquantulum refrigerans, pro caloris continue affligentis ratione, eò parcior esse debet, quo breuior futura cognoscitur, in statu, tenuior.

Potus, sit vinum album, aquosum, optimè dilutum.

Aluus omninò lubrica sit.

Anima curis & triſtitia ſoluta.

Quòd ad remedia attinet. Principio ſi reſiſtat aluus, ſubducatur molli clyſtere, qualem iam in curatione intermittentium deſcripſimus. Deinde ſanguis mittatur, eligenda autem vena ſiniſtri brachij interna, quod lieni magis conſentiat: à quo plurimum mali cauſa ducit originem.

Miſſo ſanguine exhibendum aliquod medicamentum leniens, quatuor aut quinque diebus interpoſitis, ne crudi omninò humoris peruicacia irritetur, ex caſſia, vel catholico, cum ſero caprino, vel decocto paſſularum, polypodij, ſenæ, aniſorum, vt iam deſcripſimus.

Alteretur deinde humor, & concoquatur leuiter humectantibus, & modice refrigerantibus alioqui temperatis in actiuis qualitatibus vt.

℞. ſyr. viol. ſyrup. de ſucco bugl. vel borrag. vel fumariæ ſ.an.℥i. cum decocto paſſul. borrag. cicho, fumit. Lupul. fiat ſyrupus.

Quod ſi aduſtæ quoque bilis copiam adeſſe ſuſpicio ſit (id autem cognoſcitur ex febrilis caloris acrimonia) conueniat etiam ſyrupus de endiuia, ex ſucco acido citri, ſimplicibus ſyr. primo vtendum, demum concocta materia compoſitis repetantur donec ſigna coctionis apparant, vt diebus octodecim vel pluribus.

Purgetur deinde leui medicamento purgante, vt prius in intermittẽtium curatione monuimus: clementer enim in huius febris genere agendum principio eſt, deinde vbi materia concoqui cæ

perit, roborentur viſcera, & primum cordis ratio habeatur. Applicentur igitur epithemata vt.

℞. ſpecierum ad epith. cordis tempe. ℥i. (paratę enim ſolent reperiri) aquarum bugloſſi borrag. viol. meliſſæ an. lib. ſ. aceti ℥i. vini maluatici ℥iij. parentur epithemata, cordi applicentur, ne vitalis facultas prauis vaporibus abſumatur. Quod ſi paratæ ſpecies non ſint, ſic parabuntur.

℞. pul. diamoſchi dulcis ʒij. pul. elect. diambræ ℈iiij. ſem. citri, marg. præpar. cornu cerui vſti ſpodij ana. ʒi. ligni aloes, caryophyll. an. ℈ii. fiat puluis, ex his omnibus qui immixtus præſcriptis aquis & liquoribus epithemata cordi applicanda conficiat.

Habenda quoque ventriculi & lienis ratio, remediis ſuperius deſcriptis.

At interea iuſculis medicatis, viribus & cauſæ morbi proſpiciatur, vires enim in tam ingenti cacochymia infirmæ ſunt.

In iuſculis, bulliant quæ humoris ſiccitatem corrigunt, borrag. & bugloſſi folia, tum earum flores & viol. percolato iuſculo addere licebit ℥i. vel ii. ſyr. de pomis ſimplicis, & tandiu repetantur dum morbus ad ſtatum deuenerit, eo tempore quieti indulgendum eſt, neque natura medicamentis irritanda, ſolis clyſteribus vęl iuſculis aluus ſollicitanda eſt. Purgetur deinde æger ſumptis prius ſyrupis validioribus præſcriptis, vt compoſitis de fumaria, de epithimo, de pomis, oxymelle, adiectis aquis aut decoctis aperientibus, poſterius ſumpto aliquo medicamento pur-

gante,cuius formam &compositionem superius descripsimus.

Postridie purgationis sumat ʒi. confect. alchermes, cum ʒiſ. conserue flo. viol. vel cum ℥iij. aquæ viol. borrag. bugl. melliſſ. lupul. fumarie, & similium in Aurora.

Vtatur frequenter sequenti condito.

℞. conseruæ flor. borrag. ℥iij. conser. capil. vener. viol. an. ʒi. pulaer. elect. diamargar. frig. ʒij. pulu. elect. de gemmis ʒiſ. syrup. de pomis s. q. s. fiat conditum auro coopertum, de quo sumat quotidie mane, & vesperi duabus horis ante cibum coclear vnum, superbibendo modicum vini albi diluti aqua borrag.

De tertiana notha ex bile mixta atro humori. Cap. XV.

Commiscétur varie bilis flaua, &atra & pro diuersa alterius ad alteram proportione tertianæ aut quartanę febres excitantur. Ex vtriusque humoris confusione generatur ille quem recentiores & Arabes choleram minoris famæ nominant, quod infrequens sit earum commistio.

Si parcior bilis plurimo humori melancholico misceatur, quartana febris accenditur, notha, seu mendosa, vbi vtérque simul humor putruerit. Si verò parcior sit melancholicus humor, & flaua bilis exuperet, tertiana, quam à raro euen-

tu minoris famæ Arabes vocauerunt. Vtriusque verò duplex est ratio, sicut duplex est melancholici humoris natura. Nam aut naturalis est, aut humorum assatione confectus, vnde diuersa signa, & diuersæ febrium rationes excitantur.

Vt si aliquis iuuenis intermittente tertiana diutius laboret, habitu gracilis, & biliosus in quo præcedens vita multam bilis copiam collegerit, anni tempore, regione & cœli statu calidioribus, verisimile est humorum assatione multam bilem atram generari, quæ flauę putrescenti commista, tertianam notham ex permistione atri humoris accendat.

Quod si is naturalis primum melancholiæ seu crassioris sanguinis vitiosa victus ratione copiam aggregauerit, huius aliquam portionem bili confusam, & vna putrescentem tertianam illam excitare par est, in qua bilis naturali melancholiæ commiscetur, & propriè tertertiana minoris famæ ab Arabibus dicitur.

Quod si quis vice versa quartana laboret, pręcesseritque tertiana febris primum, deinde erratica, multas sanguinis partes tenuiores in bilem degenerasse necesse est, quæ atro humori permistæ, quartanam notham efficiant, ex vtráque bile tum vsta, tum non vsta putrescente compositam.

Eadem quoque erit ratio si quis inclinantis iam ætatis ob innatam temperiem

quartana laboret, ex naturali melancholia: isque forte prauo antea victus genere bilem etiam multam collegerit.

Signa ex vtriusque humoris proportione confusa esse oportet.

Vt si huiusmodi tertiana affligat, rigor quam in pura longior, vehementior, & molestior percipitur, cum quadam ossium pertusione mandibulæ concutiuntur, dentes strident, calor acer, & alioqui cum exquisita multam habet affinitatem, præsertim si atra bilis assatione genita sit, eò longior est febris, & molestior, quò maior melancholici humoris copia accesserit: sub finem æstatis plerúmque contingit, & autumno incipiente.

Curatio eadem ferè quæ & exquisitæ, nisi quod in hac magis humectandum est, in illa magis refrigerandum, pręterea in præscribendis remediis aliqua semper admisceri oportet, quę melancholici humoris rationem habeant.

Molliatur aluus primum infuso clystere, vel sumpto leniente pharmaco, mittatur deinde sanguis ex interna dextri cubiti vena, aut si lien affectus sit, sinistri, moderata quantitate, ne immodica contingat exsicatio, & lato vulnere, vt crassior sanguis emanet.

Syrupi præparantes humectent, refrigerent, & atrum humorem temperent, huiusmodi sunt hi.

℞. Syr. violati acet. simplicis, de succo borrag. an. ℥vi. aquarum fumariæ, lupul. endiuiæ, an. ℥. x. vel decocti fumiterræ, borraginis, acetosæ, endi-

uię ℥iiij. Repetantur pluries quam in tertiana exquiſita, quòd præparanda materia craſſior ſit, concoctus humor euacuetur, aliquo ex pręſcriptis medicamentis quòd vtriúſque bilis rationem habeat, vt hoc quod ſequitur.

℞. Rhab. electi ʒ. iſ. cinamom. grana vi. infundantur per noctem in ſero lactis caprini, & modico vini albi horis x. vel ſi ſeri copia non ſit, in aqua endiuiæ, & borrag. facta expreſſione adde diaſenæ ʒvi. electi de ſucco roſ. ʒij. ſyrup. roſ. ſol. ℥ij. fiat potio ſumatur in aurora, intermiſſionis die.

Si febris perſeueret, paucis diebus interpoſitis ſyrupi repetantur denuo, & ſolutiuum medicamentum.

In acceſſione fortibus frictionibus calor excitandus eſt, & intermiſſionis tempore pori aperiendi, vt craſſi vapores expirent. Verùm ventriculum prius vacuum eſſe oportet, & communia excrementa eiecta, ne in habitum corporis partes excrementorum tenuiores alliciantur, vnde ſanguis impurior, & triſtior anima fiat.

In declinatione pharmacis vtendum viſcera roborantibus, vt hoc quod ſequitur.

℞. ſpecierum diarhodon abb. ℥ii. & ſi bilis vſta ſit, & calor acrior, ſpecierum trium ſandalorum ʒiſ. pulueris elect. de gemmis ℈iiij. conſeruæ rad. bugloſſi, conſeruæ roſarum an. ʒij. ſacchari albi diſſoluti in aqua roſ. & bugloſ. æquis partibus q. ſ. fiat confectio in orbiculis ponderis ʒiiſ. è quibus vnus duabus horis ante paſtum, mane

& vesperi, quo deglutito bibat parum vini albi optimi diluti aqua borraginis.

De quartana spuria ex admistione flauæ bilis. Cap. XVI.



I quartana ex atra bile, aut melancholico sanguine consistat, cui multa bilis flaua adiuncta sit, propriis signis facilè distinguetur.

Accessiones à leui rigore incipientes habet, easque breuiores, ita tamen vt cum rigore contusionis ossium sensus inferatur quidam, calor mordacior, vehemẽtior sitis, & inquietudo, prçcessit tertiana febris, aut erratica, vix enim vnquam quartana spuria incipiens visa est, frequenter alias sequitur tertianas, errabundas præsertim. Breuior est, sed molestior exquisita sui generis, si imprudenter humor calefacientibus irritetur. Faciliùs in duplicem, triplicem, aut etiam continuam degenerat, contingit plerumque sub æstatis finem, & autumni principium, ætati iuuenili, vbi quis calidioribus cibis multam bilis copiam accerauerit.

Victus ratio in principio humectantior, ad frigidum inclinans, secus quam in exquisita dictum est, ne adustus humor reuiuiscat, & calidior bilis addito nouo calore magis accendatur.

Potus sit vinum aqua hordei vel cocta liberaliter dilutum, ius carnium cui lactuca præcipue

incoxerit, aut atriplex, endiuia vel talium aliquid, oua recentia, & quę ſimiliter facilè & plurimum nutriunt, vtiliſſima ſunt: ſalſamenta aromata, & quęcunque acria ſuut interdicuntur, verum aceti moderatus vſus permittitur, ad putris incendij extinctionem, & appetentiam excitandam.

Ira, & animi triſtitia, pręcipue vitentur.

Curatio à materierum communium eductione inchoanda educantur autem molli & refrigerante clyſtere infuſo.

♃. mal. violarię, betę, mercur. an. m. 1. decoquātur ad tertias, iuris percolati ♃. ℥xv. mell. viol. ſach. rub. ñ. ℥iſ. olei violati ℥iij. caſſię recent. ext. ℥i. ſalis triti parum, fiat clyſter.

Sanguinis deinde miſſio conuenit, vt ægrotantis habitus refrigeretur, verùm partiēda eſt phlebotomia, & primum dextra baſilica ſecanda eſt, cum in hepate præcipuè humores vrantur, mittendúſque ſanguis pro corporis & virium conditione.

Duobus deinde vel tribus diebus interpoſitis, leniatur aluus ſequenti medicamento.

♃. pruna numero decem, tamarindorum ℥i. trium flo. communium, an. p. 1. decoquantur in aqua & colentur, iuris percolati ♃. ℥iiij, mannæ electæ ℥ii. ſyrup. viol. ℥i. fiat potio, vel diaprunon. ſ. ℥i. ſyrup. viol. ſol. ℥i. vel caſſiæ recent. extr. ʒvi. ſyrup. roſ. ſol. ℥iſ. cum ſero lactis caprini fiat potio, ſumatur in Aurora.

Humores deinde in hunc modum concoquentur, refrigerantibus & humectantibus.

℞. syr. viol. syr. de succo acet. an. ʒs. acetosi s. ℥i. aquarum endiuiæ lupulorum, buglossi, an. ℥i. misce fiat syr. sumatur postridie in Aurora. Vtiliores erunt si aromatizentur singuli ℈s. pul. santalorum citrinorum: repetantur diebus septem, deinde purgetur leui aliquo medicamento, nam bilis facile educitur, vbi parata sit, ater humor forti medicamento non est irritandus à principio.

℞. cath. ℥vi. confect. hamech ʒij. syr. ros. sol. ℥ii. decocti paulo ante descripti, ℥iiij. fiat potio, sumatur in aurora. Quiescat deinde æger dies aliquot, & mane vtatur iusculis pulli, in quibus multa borrago cum pauca endiuia & mellissa coxerit, & duabus horis ante cibum hac confectione. ℞. specierum diacorallij ʒi. Specierum trium santalorum, ℈iiij. quòd si species diacorallij non reperiantur, species trium sandalorum supplebunt vicem vtriusque, sacch. albi dissoluti in aqua borrag. q. s. fiat confectio in orbiculis. p. ʒ. ij. è quibus sumatur vnus vt dixi.

Fiat & sequens epithema hepati.

℞. aquæ endiuię ℥viij. aquæ ros. ℥iiij. acetosæ ℥ij. omnium sand. an. ℥is. spodij ʒs. spicæ ℈s. aceti ℥s. commistis fiant epithemata hepati.

Potus accessionis tempore interdicatur, aut saltem in declinationem vsque differatur, interea oris quandóque collutione sitim fallat, si bibendi necessitas vrgeat, potus sit aqua hordei cum syr. viol. vel cum condito sequenti.

℞. con-

℞. conſeruæ florum borraginis, & bugloſſi, an. ℥i. conſeruæ roſ. & viol. an. ℥ſ. margar. præpara. ʒi. fragmentorum comm. an. ℈i. corall. rub. ʒſ. ſacch. albi q.ſ. fiat conditum aureis coopertum bracteis, quo etiã intermiſſionis die mane vti poterit ad partium principum robur conciliandum.

Vbi dies viginti aut etiam plures præterierint quietis, ſignáque coctionis perſpicuè appareant, ſecetur vena ſaluatella ſiniſtræ manus, detrahaturque ſanguinis iuſta quantitas, concoquetur deinde rurſus humor.

℞. ſyr. de epithimo ℥i. viol. de pomis comp. an. ℥ſ. aquarum endiuiæ, bugloſſi, fumi terræ an. ʒx. miſce fiat ſyr. ſi ingens ſit calor, temperetur ℈ſ. pul. ſand. citrinorum. Vtiliter præſcribitur loco ſyr. hoc decoctum.

℞. ſucci borrag. bugloſſi. ſucci pomorum redolentium, endiuiæ, an. lib. 1. ſacchari q.ſ. coquãtur ad conſumptionem tertiæ partis, adde aceti ℥ij. fiat ſyr. mediocriter coctus, quo vtatur ſingulis diebus in aurora ſumendo ℥v. calidè, repetatur diebus ſex, deinde purgetur ſolutiuo medicamento quale eſt hoc.

℞. vuarum paſſarum detractis vinaceis, ſebeſten, iuiubarum an. ℥ſ. pruna numero duodecim, florum borraginis bugloſſi, viol. an. p.ſ fiat decoctio, iuris percolati ℞. q. ſ. in eo macerentur horis decem mirob. citrin. & indarũ confricatarum oleo amigdalarum dulcium an. ʒvi. mane lento igni fricentur, & colentur, adde cath. ʒvi. confect. hamech ℥iij. ſyrup. viol. ſol. ℥i. fiat potio

ſumatur in aurora, pridie acceſſionis. Hoc tempore conueniunt myrabolani, quoniam robur viſceribus addunt.

Die vero ſequenti ſumat hunc bolum.

℞. theriacæ electæ ℥i. conſeruæ flor. borrag. ℥iſ. ſumat diluculo, conueniunt quoque epithemata cordi, & inunctiones & fotus, quales in quartana exquiſita diximus.

Inclinante iam morbo, vtatur ſequenti confectione.

℞. ſpecierum diarhodon Abbatis, ſpecierum elect. de gemmis an. ℥i. ſpecierum diamarg. calidi, ℥ſ. ſacchari albi diſſoluti in aqua bugloſſi, q.ſ. fiat confectio in orbiculis p. ℥ij. é quibus vnus ſumatur duabus horis ante paſtum, mane, & veſperi.

Vtilis quoque balnei vſus erit, declinante morbo, vt contracta ſiccitas corrigatur.

De febrium complicatione & ſemitertiana.
Cap. XVII.

SIcut ex plurium humorum confuſione nothæ febres generantur, ita ſi eodem tempore ſeorſum quilibet eorum putreſcat, variæ febrium cõmiſtiones & complicationes contingunt, vbi vnuſquiſque propriã febrẽ accendat.

Compoſitionis autem earum ratio multiplex eſt. Aut enim febres inter ſe complicantur, aut ex partium inflãmatione accenduntur, vt 2. de criſ. 7.

Inter ſe complicantur, aut diuerſorum generum, vt hectica cum putrida, vel eiuſdem ſpeciei, vt duæ vel plures tertianæ duæ tres vel plures quartanæ.

Aut ſi ſpecie differentes mutuo iungantur, vt ſi tertiana, quartana, aut quotidiana complicentur, idque vel continuarum inter ſe, vel intermittentium, vel continuarum cum intermittentibus.

Rurſus harum compoſitio duobus modis poteſt contingere, aut enim mutuo tantum implicantur acceſſiones, aut per ſe totas confunduntur.

Implicantur, ſi horis diuerſis acceſſiones inuadant, ita vt ſingulæ diſtingui poſſint. Confunduntur ſi ſimul acceſſiones incipiant, & miſta ſit proxyſmorum forma, qui modus cognitu difficillimus eſt, idcirco quod confuſa ſymptomata non facilè diſcerni poſſint, vt ſecundo de criſ. cap. 7.

Frequentiſſimè verò conueniunt tertiana, & quotidiana, ex quarum complicatione ſemitertiana generatur, Græcis ἡμιτριταῖος ita vocata, quòd tertianæ febris aliquas habeat notas, aliquibus careat, vt primo epid. com. 3. com. 5. nam neque ad integritatẽ deſinit, neque cum rigore inuadit, neque excretione finitur, neque diẽ ſecundũ integrum habet, tertio tamen quoque die inſultat, vt tertianis mos eſſe ſolet. Sicut autem iis, quę integram abſolutionem non ſunt aſſequuta dimidij nomen attribuimus, vt ſemimortuum, ſeminecem, ſemiaſſum, & mulum

quoque ἡμίονον hoc est semiasinum appellantes, ita & hanc febrem semitertianã vocamus, quod integrè tertianæ symptomata non habeat, sed temperata ex quotidiana continua, & tertiana intermittente, totamque sui naturam parte dimidia vtriusque constantem, non quod multitudine symptomatum, aut viribus tertianæ sit dimidia, cum ea longè deterior sit, vt potius tertianæ huius, quam hęc illius videatur esse dimidia, vt Gal. primo epid. com. tertio com. quinto.

Earum verò implicatio quatuor modis potest contingere: prout vtriusque harum febrium duplex est ratio, nam aut tertiana intermittens intermittenti quotidianę iungitur, aut continua tertiana quotidianæ intermittenti, aut tertiana intermittẽs quotidianæ continuæ implicatur, vt Gal. 2. de diff. feb. 7. Harum vero non quæuis complicatio semitertianam constituit, sed in qua notæ sunt quas Hipp. primo epid. com. primo comm. 23. describit, infestabant inquit pleró sque febres horrificæ continuæ, acutæ, omninò non intermittentes, modus erat semitertianus, vno die leuiores, altero grauius iterum inuadentes, in summa indices acutiores euadebant.

At horrificæ esse non possunt quæ ex duabus continuis ducunt originẽ, cum febris continua, si exquisita sit, sui rationẽ neque horrorem neque rigorem habeat. Præterea cum continua sit, ex duabus intermittentibus generari non potest, reliquum est, vt ex altera reliquarum implicationum fiat, vel ex tertiana continua, & quotidiana

intermittẽte, harum autem postrema magis propriè semitertiana dicitur, vt 2. de diff. feb. 7. cũ enumeratæ notæ illi magis conueniant, continuitatem enim habet à quotidiana continua, horrorem à tertiana, & quod acuta sit. vera igitur semitertiana dicitur quæ ex quotidiana continua & tertiana intermittente confusa est. Verùm cum earum altera alteram possit excedere, aut alteri æqualis esse, ea proprie exquisita dicetur: in qua neutra alteram superat, sed æqualiter potentes in vicem commiscentur, vt Gal. eodem cap. septimo secundi de differ. feb. huiusmodi est quam descripsit Hipp. primo de morb. vulg. loco iam citato. Ea vero in qua altera febrium superat, exquisita non est, vt Galenus asserit.

Causa febris huius eadem est, quæ & nothæ tertianæ, quam maioris famę Arabes appellant: bilis scilicet & pituita putrescens, verum in illa vterque humor confusus putret, & febrem excitat: in hac, seorsum propriam accendit.

Altero die vnicam habet accessionem, quotidianam scilicet, altero geminam, alteram ex tertiana alteram ex continua quotidiana, vnde fit, vt cum æqualiter temperatę sint, accessionis initiũ cum horrore inuadat, qui medium inter vtraque extrema locum obtinet, rigorem scilicet & frigus, quorum alter tertianæ, alterum quotidianæ proprium est, & tantò frigore maior est, quantò à rigore magnitudine superatur: neque verò solum accessionis principium cum horrore est, hoc enim & aliis quibusdam febribus commune esse

poteſt, ſed bonam etiam acceſſionis partem horror occupat, vnde ab Hipp. horrida proprio nomine vocatur, primo epid. comm. primo tex. 23. Id autem contingit hac ratione, quòd cum magnitudine æquales ſint tertiana intermittens, & quotidiana continua, initium acceſſionis cum horrore exiſtit, id enim medium rigoris perfrictioniſque eſt: incrementum verò ob tertianam facilè ſuſcipit caliditatem atque ad conſiſtendi vigorem feſtinat, ob pituitoſam verò tardatur, inhibetur, & interrumpitur, atque in ea veluti ſymptomatum pugna incaleſcit interdum æger, quoties tertianæ calor vehementius agens ad cutim humores effert: interdum refrigeratur & horret, dum ſuperanre frigido humore bilis impetus retinetur ac retardatur, & retrahente intra motum pituita, quæ ſegnis eſt, & frigida, difficilis & tarda fit caloris diffuſio, in tali pugna exuperante frigido humore caloris contractio efficitur, horror, & frigus extremarum partium, & cutis, ita vt non ea acceſſio rurſus incipere videatur, & denuo exuperante calido toto corpore caleſiunt, & ad ſtatum perueniſſe videntur, dein paulò poſt iterum exuperante pituitoſo, æger rurſus contrahitur, refrigeratur & horret, & ita contrariis ſibi inuicem ſuccedentibus motibus, tamdiu caloris horroris viciſſitudo perſeuerat, donec ad conſiſtendi vigorem acceſſio peruenerit, qui quam pro pituitoſo maturius, quam

pro bilioſo humore tardius exiſtit. Quantum enim pituitoſus bilioſi celeritatem detinet, tantum bilioſus tarditatem ac ſegnitiem pituitoſi accelerat. Cùm autem tandiu horror perſeueret & repetat, horrifica febris ab Hipp. meritò vocatur: non quod cum horrore ſolum inuadat, id enim quibuſdam aliis febribus commune eſt, vt Gal. eodem 2. de feb. diff. cap.7. retulit.

Talis vtique eſt ſemitertiana, quæ verè exquiſita eſt, in qua ſcilicet vterque humor paribus viribus pollet, vt ſecundo de differen. febr. 8. & primo epid. comment. 2. comment. 25.

Quæ verò exquiſita non eſt, alterum habet exuperantem: ſi bilem, horrores contingunt maiores, febris ſtatim validior, calidior, æſtuoſior, atque ad conſiſtendi vigorem celerius properat, bilis vomitum vel deiectionem vel madorem infert. Huius exemplum adduxit Hipp. 7.epid in vxore Theothimi.

Si pituitoſus humor, frigus extremarum partium exuperat, horror omninò paruus, pulſus contractior, acceſſio diuturno eſt, lente increſcit, ſitim, ardorem, bilis vomitum, aut deiectionem, aut ſudorem non infert.

Cæterum cum duobus modis contingat ſemitertianam generari, vel mutuo tantum complicatis acceſſionibus, vel ſtatim ab initio confuſis, in illa, vnica tantum erit acceſſio, verę ſemitertianæ

naturam referens, altera febrem preueniente, altera retardante, in hac omnes à principio ægritudinis vſque ad finem, ex quo vera ſemitertiana ab omnibus dicitur, vt ſecundo de differen. feb. cap. 8.

Præterea continua eſt ſemitertiana, vt ibidem teſtatur Hipp. quam etiam ſententiam confirmat Gal. tum eodem loco tum ſecundo de differ. feb. cap. 8. At in lib. de typis cap. 4. ſecus videtur ſenſiſſe, vbi intermittentem quandóque eſſe dixit verùm liber ille falſo Galeno adſcribitur, cum eius ſinceram doctrinam non referat: perſpicue enim primo epid. comm. 3. com. 5. oſtendit intermittentem eſſe non poſſe, cum ab Hipp. periculoſa eſſe dicatur. Periculoſa autem intermittens nulla eſſe poteſt: vt in aphoriſmis Hippocrates docuit, 4. aph. 43.

Præterea author lib. de typis, ait naturam virilem frequentius corripi ſemitertiana ætati florẽti proximam, & autumnali potius tempore, quando etiam valde periculoſa eſt.

Romæ incolis frequentiſſimam eſſe Gal. teſtatur, primo epid. com. 2. com. 25. Verùm noſtris temporibus non ita frequenter incidit, ſed pro ſemitertiana, tertiæ nothę plurimæ, quę in multas etiam hebdomadas producuntur. Cuius rei cauſa in diuerſam viuendi rationem referenda eſt, qua Galeni tempore Romani vtebantur, balneis frequentibus, ſemel, bis, & tertio quandóque eodem die ante cibum, nullis voluptatibus parcentes, eadem menſa piſcibus & carnibus pro

animi libidine veſcentes, cum nullo ciborum genere interdicerentur, omniáque pro voluptatis arbitrio licerent: largior enim crudi humoris copia ad ſemitertianam generandam requiritur, cũ is per ſe febrem continuam accendat & non mediocre periculum inferat.

Acuta eſt, & læthalis, vt Hipp. primo epid. ſect. prima tex. 23. & ſect. tertia tex. quinto. Verùm quandóque tabi, & quibuſdam aliis diuturnis morbis iungitur, vt idem Hipp. eodem tex. quinto ſiue ipſa ad tabem perducat & ad alias diuturnas ægritudines, & erroneas & difficiles, vt inquit Auicenna prima quarti, tract. 4. cap. 17. ſiue his morbis talis febris accidat, vt innuere videtur Hipp. loco citato, & Gal. in commento aſſerit, perpetuo tamen læthalẽ Hippocrates eſſe ait. verùm quæ exquiſita eſt, acuta quoque eſt, quæ verò diuturnis morbis iungitur, exquiſita non videtur, vt Gal. in commento nuper citati textus Hippocratis. Idem etiam ait author libri de typis. Auicenna tamen ad ſeptimum menſem quandóque produci teſtatur. At Gal. primo aph. 12. mediam longitudine inter ardentẽ febrem & typhoden, quę largiorem habet bilem, breuior, quę pituitam diuturnior, vt notauit etiam Paul. lib. 2. cap. 34.

Curatio pro cauſarum ratione compoſita ſit, ſumma autem cura adhibenda eſt vt intelligamus vtra materia ſuperet, cruda an bilioſa, ſi cruda, iis præcipuè vtendum, quę pro curatione quotidianæ approbauimus, ſi bilis flaua, iis præſidiis quæ

in tertiana comprehensa sunt, ita tamen vt alterum humorem non prorsus negligamus. Quòd si exquisita sit semitertiana, vtriúsque causæ ex æquo habenda ratio est, & vtriusque febri pariter prospiciendum, maior tamen pituitæ ratio habenda videtur, quæ magis negocium facessit.

Quòd si aliæ febres complicentur, vt quartana quotidianæ, aut tertianæ, hemitritei nomine significabuntur. nam cum rarissimè eueniant, eius complicationis quæ frequentius contingit nomen vsurpabunt cum aliud ipsis nomen impositum non sit.

Signa & curatio pro simplicium componentium febrium erit diuersa, ab illis enim compositarum ratio sumenda est.

De febre syncopali humorosa. Cap. XVIII.

QVædam preterea febres à symptomatibus nominantur: quod quidem idcirco euenit, quoniā symptomata morbis notiora sunt. Causę enim plerumque suis effectibus sunt obscuriores. At cum symptomatum morbi semper sint causæ, tunc à symptomatibus denominatio sumitur, cùm ea notissima fuerint, vt quæ vires maximè deiiciunt, & eo nomine rationē, curationis immutant. Huiusmodi præcipuè sunt syncopes, à quibus syncopales febres appellantur, quòd in earum accessio-

nibus animi deliquia, aut præceps virium lapſus contingant.

Harū duplex eſt ratio, vel enim fiunt à pituitoſo ſucco, multo, frigido, craſſo, & venenato, in ventriculo redundante, vel ex tenui & bilioſo ventriculum lancinante, illam ſyncopalē humoroſam hanc minutam appellant. De humoroſa primum, poſterius de minuta dicendum eſt.

Fit febris illa vbi frigidus humor, & craſſus, ex multis cruditatibus aceruatus in ventriculo os ipſius opprimat, & meatus caloris occupet, aut venenatis quibuſdam vaporibus ad cor emiſſis vitales ſpiritus inficiat, & extinguat.

Contingit præcipuè vbi morbus naturę conſentiens in inſignem lapſum corpus deduxerit: vnde vires deiici neceſſe eſt, eo magis, quo maior vaſorum & meatuum cutis anguſtia acceſſerit, ex quo modicus calor ſpirituum paucitas, & facilis extinctio. Ad huius itaque febris generationem tria hæc requiri videntur, crudorum humorum copia, os ventriculi opprimens, virium infirmitas, quæ caloris paucitatem ſequitur, & viciata anguſtorum meatuum & venarum compoſitio.

Signa qualia à Galeno traduntur, 12. meth. 3. in principio pręcordia inflata, corpus totū ampliore mole quā pro naturę modo, color omninò viciatus aliis quidē albidior quā pro naturali habitu, & aqua intercute laborantibus magis ſimilis, nonnullis ad nigrius aut liuidius commutatus, quos medici plumbei caloris appellant.

Præcessit vitæ incontinentia. & ocium, larga & frequens ciborum ingurgitatio.

Pulsus omnibus minores quam pro caloris ratione, obscuri præterea omninóque inæquales, ea quidem inæqualitate quæ in vno ictu semper, frequentissimè verò ea quam συςηματικὴν Græci vocant, nostri collectitiam.

Est è genere pituitosarum, & quotidianæ typum repræsentat, sub vesperam & noctu magis vrget accessio, vt Galenus 12. meth. quinto in fine, magna ex parte continua est, raro intermittens, verum semper acuta, ob symptomatis vehementiam: & magna ex parte læthalis: causa præcipuè est, quoniam solutiuo medicamento materia euacuari sine periculo nō potest, agitata enim magis quam in paroxysmo soleat, grauiorem syncopē induceret, vt Gal. 12. meth. tertio. Quòd si visceris alicuius inflammatio accesserit, ventriculi pręsertim, aut hepatis, aut si non modo crudi sunt succi, sed ita corrupti vt concoqui non possint, deplorata est salus.

Faciliùs iis accidit quibus imbecillius & acrioris sensus est os ventriculi, quo nomine ab aliis febribus differt, quas similis humor excitat.

Curatio duobus modis perficitur, alterum Galen. instituit 12. meth. 3. alterum Alexan. Trall. 12. operis sui libro cap. 3. quem etiam posteriores multi sequuti videntur. Galenus iubet ægrotantem frictionibus validis, panno aspero per triduum fatigari, excepto somni tempore ad quem etiam alliciendum facit vberior frictio. Verùm

his longior ſomnus inutilis eſt, cum nec ſuccos crudos digeri ſinat, & viſcera grauiora reddat. At cum crudorum humorum copia coctionem deſideret, moderatè ſibi inuicē ſuccedentibus ſomno & vigiliis opus eſt: illo ad concoctionem, his ad digeſtionem celebrandam, frictiones itaque imperat à principio ſtatim morbi, ac primum à cruribus ſuperne deorſum, dehinc totis brachiis, ab humeris vſque, atque ſimili modo ſupernè deorſum, vſque dum artus omnes abunde calere videantur, ab his ad ſpinam tranſeundum eſſe, eamque pari ratione fricandam.

Quod ſi exfrictionis multitudine metus ſit, ne contuſa carne laſſitudinis ſenſus accedat, oleo relaxante vtendū, chamemelino, anethino, amigdulcium, aut communi in quo chamęmeli flores aut anethi cacumina bullierint, aut alio aliquo eiuſdem facultatis. Idque dehinc abſtergendum ne laboranti tædium pariat, mox ad crurum & bracchiorum ac ſpinæ frictiones eſſe redeūdum, primùm ſiccas demum ex oleo, & ita totum agere diem, in domo purę lucis, quæ humida non ſit, modico tamen calore temperata, aut ſiquidem hyems ſit, calida, ſi ęſtas frigida, cum ab vtróque exceſſu non mediocriter lædantur, hancque vnicam ita affectis euacuationem conuenire, cum nec ſanguinis miſtionem, aut purgationem ſuſtineant: à quibus grauior ſyncope ſolet induci: ſola tamen interea mulſa ita affectos alendos, in qua hyſſopus coxerit, ſi vires admodum infirmæ ſint, & pulſus vſque adeo parui, ad tertium vſque

diem quamuis extremum periculum immineat, ſin autem firmiores aliquantulum, & primis tribus diebus nihil incommodum occurrat, vſque ad ſeptimum.

Aluum, niſi ſponte fluat, modo pulſus æquales ſint, & minime interciſi, indito clyſtere irritandam: ſi largius fluat, ſolo vſu mulſæ vberius coctæ ſiſtendam, cum alia remedia ſuſpecta ſint, alioqui pro mulſa ptiſanæ cremore, aut alica vtendum. Quod ſi ab immodico fluore vires concidant, pane ex vino, modo neque ventriculus, neque hepar inflammatione laboret. Pro mulſa etiam oxymel propinandum, vbi maximam humorum crudorum copiam ineſſe cognouerimus, ab eoque rurſus ad mulſam inuicem tranſeundum, ſi oxymel ægrotantem faſtidiat, potiones æſtate frigidas hyeme calidas offerri oportere, præſertim ſi calidæ potioni inſueuerit. Quòd ſi neutra intemperies excedat vinum calida diluendum & omninò ſemper calidã potionem exhiberi, niſi immodicus aeris æſtus impediat. His remediis præcauendum ne æger in ſyncopen decidat. Hypocondria tunc primum eſſe cataplaſmatibus & vnctionibus fouenda, cum ſuperflua magna ex parte partim euacuata, partim concocta fuerint, cum ſi prius his remediis vſi fuerimus inflammationis viſceris alicuius periculum immineat. Ea verò nec omninò relaxantia eſſe oportere, ſed ex abſynthio, aut alio ſimili medicamento: quod roborantis facultatis particeps ſit. Sin autem ad eos voce-

mur qui ſyncope præmuntur, ſi nulla inſit viſcerum inflammatio, panem ſtatim exhibendum, non multum, eumque ex vino calidiori & generoſo, quodque celerem in corpus digeſtionem adiuuet, mox ad frictiones veniendum. Hæc eſt fere Galeni curationis ratio.

Alexander Trall. diuerſam inſtituit, imperans ſtatim incidentia & attenuantia, quin & euacuantia præſidia, vbi crudorum humorum maxima ſubſit multitudo. Inter hæc ſanguinis quoque miſſionem, quod quidem abſurdum & præter veram methodum eſſe videtur: ne dum præter Galeni ſententiam. Vbi enim tanta crudi humoris copia, paucus ineſt calor vt 4. de ſant. tuen. cap. 4. at eum ſanguinis miſſione exhauriri non conuenit. Præterea quomodo tanta virium imbecillitas euacuationem adeò inſignem ſuſtineat? victus rationem tenuem quidem, at non adeo exactam imperat, frictionibus eſſe locum, vbi uirium adſit maxima proſtratio, nec alteri euacuationi relinquatur locus: Galeni conſilium damnat frictiones aſſiduas, & adeo longam inediam.

Auerroes ptiſanam hordeaceam improbat, vt ventriculo infeſtam, & longam inediam: cibumque ſtatim offerri iubet, vbi ſyncopes immineat periculum panem ex vino optimo, ſeptimo coll. 13. quod quidem his temporibus conſentaneum magis eſſe videtur: ætas enim noſtra tam auſteram victus rationem non ſuſtinet, qualem Galenus

imperat consuetudinis enim & innati vsus maxima ratio habenda est.

Curationis itaque modus his temporibus conueniens sic præscribetur.

Collocetur ęger in cubiculo non humido, in calore & frigore temperato, ne calidior aër vires exoluat, aut frigidior poros obstruēdo digestionem humorum impediat. Quod si calidior sit, alterantibus temperetur, qualia sæpe commemorauimus. Sin frigidior, ignibus ex roremarino, iunipero & aliis eius generis lignis odoratis, & suffitibus ex thure, mastiche, ligno aloes, styrace calamita, cortice citri caryophilis leuiter contusis: suffiatur autem præcipuè paruo ante accessionem tempore, vt & calore & odore conferat.

Cibus paucissimus sit, sed frequenrer exhibitus, & concoctu facilis, vt ouorum vitelli, pulli contusum, iuscula, aut ex pulli carnibus in frusta concisis, & caryophillis, cinamomi, & santalorum puluere conspersis, vino atque aqua rosarum rigatis stillatus liquor.

Potus sit vinum tenue, fuluum vetus & generosum, vt Gal. 12. meth. 4. vbi meiendi aut deiiciendi necessitas sit, è lecto non surgant, ne commotis humoribus syncope subsequatur.

Principio frictionibus asperis corpus calefaciendum, mox epithematibus corroborandum, & cordialibus medicamentis appositis. ℞ florum borrag. & buglossi, summitat. mellissæ an. p. 2. ligni aloes, caryophil. cinamomi an. ℥ij. omnium

sant.

fant.an.ʒi.rof.rub.℈i.croci ʒß.cocci baphycæ ʒi. mufci,ambræ an. ℈i. pulueri̇zentur omnia & infuantur panno ferico rubeo & raro: fiat facculus acu interpunctus,in cordis figuram. Huius pars anguftior infra,latior fupra: cordis regioni applicetur, fempérque adhæreat.

Si aluus adftricta fit, balanis immiffis fubducatur, alioqui fi vires conftent, abftergente & facili clyftere, vt ℞.mellis rof. ℥iß. facch. rub. ℥i. vitellos ouorum numero ij.olei com. ℥iiij.iuris decocti hordei, florum cham.melliloti, & furfuris l. f.fiat clyfter.

Vbi fyncopen inftare metuimus, à fomno omninò arcendi funt, materia deinde his fyrupis pręparetur.℞.oxymel.f.℥ij.aquarum hyffopi feniculi bugloffi an. ℥i. fiat fyrupus repetatur diebus quinque. Solutiuo demum medicamēto materiæ pars educatur. ℞. diaphęnici ʒvi. cum hoftiis fiant boli, fumantur in aurora, vel ℞.turbith electi ℈ij. zinziberis gr. vi.facch. ʒij. fiat puluis, qui ex aqua bugloffi ad auroram fumatur.

In morbi progreffu, fi virtus conftet: vtatur aliis ferapiis validioribus, oxymell, comp.fyr. de duabus rad.oxym. fcyllit. & fimilibus cum aquis feniculi, bugloffi, abfinthij, calamenti, paulatim ad fortiora remedia afcendendo, & magis attenuantia ac incidentia, vt iam in curatione quotidianæ febris dictum eft. Viribus interea cordis femper profpiciendo, & vbi metus fyncopes non fit, caufam uacuante pharmaco educentes, id enim præfidium omnem fufpicionem auferet.

De febris syncopalis ab humore tenui causis, signis, prognostico, & curatione, Cap. XIX.



Tenui & bilioso succo fit quandóque febris, qui cum ventriculo inhęreat, & in os ipsius sese altè insinuet, ipsum mordet, & vellicat: vnde ob sensus acrimoniam virium deiectio, & syncope, agitata materia, in accessionum principiis. Deleteriæ cuiusdam & venenatæ qualitatis particeps est ichnorum & substantiæ tenuissimæ, febrem quę ab hoc accenditur minutam syncopalem vocauerunt: hoc nomine causæ à qua fit, substantiam indicantes, & ab altera syncopali secernentes, de qua nuper egimus. Exercet potissimum iuuenes extenuato & bilioso corpore, quibus rara est venarum & meatuum cutis compositio: vnde pertenues succi facile exhalant, vt Gal. 12. meth. 6. Tria enim concurrere necesse videtur, virium languorem humorum tenuissimorũ in vẽtriculo copiam, & vitiatam venarum & meatuum in laxitate compositionem, ab his immodica digestio, & virium prostratio, & præceps earum lapsus.

Fit autem digestio immodica quandóque non solum extenuato spiritu & sanguine, sed etiam expultrice facultate immoderatius toto corpore concitata: quod quidem ex imbecillitate retentricis accidere plerumque solet: vt monet Gal. eodem cap.

Præcessit anxia & frugalis vita, acrium quoque & calidorum ciborum vsus.

Signa ex ipso symptomate, habitu corporis, & compositionis notis sumuntur. Facies eorum squallida est, vt Alex. lib. 12. cap. 3. pulsus exigui, languidi, inæquales, & inordinati, deiectiones biliosæ sunt, vrgent vigilię, caput vaporibus infestatur, vomitio aut nausea frequens excitatur; quam plerũque antecedit oris amaritudo, inappetentia, & tenebricosa vertigo, vt inquit Hipp. 4. aph. 17. postremo accidit roridus quidam sudor ex facie defluens, & frequens casus in syncopin.

In hoc affectu mortifera illa species celeriter apparet, nasus acutus, oculi concaui, collapsa tempora, & signa cætera quæ Hippoc. primo prognost. 9. enumerat. Quod si ab aliqua externa causa talis facies contrahatur, animi tristitia, excretione aliqua largiore, importunis vigiliis, ciborũm abstinentia, aut simili occasione, minus periculi subesse existimandum est. Quod si nihil affuerit, maximum vitæ discrimen incumbere ægrotanti: atque hoc amplius, si à principio morbi talem habeant speciem vt Galenus quoque asserit 12. meth. 6. cum ad tempus vsque concoctionis sufficere non possint.

Læthalis itaque omninò est affectus: vixque ad quartam vsque paroxysmum producitur: prius enim plerumque iugulare solet, vt inquit Auic. 1. 4. tract. 2. cap. 62.

Quod si visceris alicuius inflammatio accesse-

rit, viribus iam languentibus, desperata salus est, cum neque sine nutrimento diu seruari possint, nec eos nutrire liceat nisi in febrium remissione.

Hic affectus sicut à priore diuersus est, ita diuersam omninò curationem requirit.

Aër itaque frigidus & humidus comparandus est, iis remediis quæ alibi docuimus: præcipuumque medici consilium sit, vt largam euaporationem inhibeat, quæ ex pororum laxitate contingit, vnde vires exhauriri & exolui necesse est. Inhibetur densatis meatibus cutis, & incrassatis humoribus, vt inquit Galen. 12. meth. 6. huius rei gratia inuoluitur æger linteo aqua rosarum madente: aut conspergitur multo rosarum rubearum & myrti puluere, aut linteo multo rosarum puluere consperso ęger inuoluitur. Sunt qui in aquam rosarum ægrum demergant vtiliter. Iungitur quoque vnguento adstringente, quale est hoc quod sequitur.

℞. olei rosati emphacini, olei myrtini, an. ℥iiij. olei melini ℥ij. bulliant in ℥iiij. aquæ ros. ad consumptionem aquæ, deinde adde rosarum rub. puluerizatarum ʒij. santalorum omnium an. ʒi. cerę .s. fiat vnguentum, quo vngatur æger toto pectore & abdomine, agendumque omni studio vt succorum materiam crassiorem reddamus, cutim densemus, & exhalationem retineamus: hoc enim Gal. monet.

Cibus vel paulo ante accessionem offeratur, vel in ipsius accessionis principio. Sit autem is qui citissime nutriat, nec facilè omninò diffluat,

& adſtrictionis particeps ſit: vt vitelli ouorum cum ophacio, mica panis in iure friata, cui lactuca, portulaca, acetoſa, aut cucurbita incoxerint. Alica, Gallinaceorum teſtes, præſertim eorum qui lactè nutriti ſunt. Galenus ptiſanam damnat, quod promptius diſcutiatur. Verùm ſi ſucco malorum granatorum condiatur, idoneum fiet nutrimentum: conuenient quoque fructus auſteri, qui non facilè corrumpantur: vt pruna & ceraſa acidula, granata, oxyachantha, omphacium, pira, meſpila, & id genus alij. Ius præterea ſtillatitium, ex pulli carnibus irrigatis aqua roſ. acetoſæ, & bugloſſi.

Vinum bibatur acerbum & ponticum, dilutum aqua frigida, aut aqua decoctionis radicis bugloſſi: extra paſtum vtatur aqua hordei, cui iulep. roſati admiſceatur, vel ſyrupus è ſucco acido citri, aut oxyſac. cum aqua frigida.

Si ergo deprehenſus ſyncope æger eſt, omnis ſollicitudo ad ſymptoma vertitur, ſi nondum ea premitur, vtriuſque cura habenda eſt, & vt ſymptoma non incidat, & morbus diſcutiatur, occurrendum igitur his remediis.

℞. conſeruæ roſ. ℥iiij. conſeruæ rad. bugloſſi ℥ij. corticis citri ſacch. conditi ʒij. margarit. præparat. ℈ij. fragmentorum omnium præcio. an. ℈i. ſcobis auri & argenti an. ℈. ß. bracteas auri numero decem, & ſacch. q. ſ. fiat conditum auro coopertum, quo ſæpe laborans vtatur. Vtilis eſt etiam frequens vſus manus

Christi cum marg. & santalis, & potionis sequentis.

℞.pulueris diamarg. frig. ℈ij. corall. rub. ʒß. confectionis de hyacintho, & alchermes, an. ℈i. vel loco confectionis de hyacintho fragmentorum omnium an. gr. vi. syrup. è succo acido citri ℥i. aquarum borrag. acetosę ros. an.q.s. fiat potio sumatur instante syncope, frictionibus in hac febre vtendum non est, ne vtiles humores affluentius discutiantur.

Vbi instauratæ vires aliquantulum fuerint, alui excrementa primum balanis immissis, dein leniente enemate, aut assumpto leui medicamento educantur. Clysteris & balani formam in tertianę exquisitæ curatione & causi adduximus. Medicamentum constet cassiæ pulpa & tamarindorum, vt superius notauimus vel decocto ex prunis, ziziphis, passis, tamarindis, sebesten, & floribus cordialibus, in decocto percolato dissoluantur mannæ ℥ij. vel pulpæ cassiæ recens eductæ ℥i. & addita ℥i.ß. syr. è succo acido citri fiat potio.

Cor postea refrigerandum & roborandum appositis epithematibus, æstate frigidis, hyeme tepentibus, iisdem fouendi & roborandi erunt testes, ne rursus præ virium imbecillitate syncope irruat.

Si syncope affligat, iis remediis succurrendum, quę proprio capite docuimus.

De synocho sine putredine, eius causis signis, atque prognostico. Cap. XX.



SInochi febres dicuntur, quę nullam exacerbationem habent, vt secundo de diff. feb. vltimo, & quarum omne tempus vna accessio est, vt eodem secundo de diff. feb. secundo & nono meth. secundo. Harum duplex est ratio, aut enim fiũt inflammatis humoribus quos arteriæ & venæ continent præsertim maiores, & quæ inter alas, & inguina clauduntur: aut iisdem putrefactis.

Est igitur synochus febris verè continua, nullas suscipiens exacerbationes, à sanguine accensa, vel putrido vel inflammato.

Hac descriptione ab omnibus aliis distinguitur, quæ aut continuæ non sunt, aut exacerbationes suscipiunt, aut ab inflammatis spiritibus aut membris solidis generantur, ephemeris, hecticis, & ab aliis febribus humoralibus quibuscumque, cum solus sanguis & spiritus inflammati febrem accendant, alter synochum sine putredine, alter ephemeram.

De ea igitur quæ sine putredine prius agendum est, mox de putrida verba faciemus.

Generatur hæc febris vbi supra naturæ modum aucto sanguine meatuum, cutis constipatio superuenerit, ob quam sanguis commode perflari non potest: vnde inflammari necesse est, quo

enim vberior eſt ſanguinis copia, eo vberior eſt calidorum vaporum efſluxus, & liberiorem eſſe tranſpirationem oportet, alioquin à concluſis vaporibus calor augetur, humores inflammantur, & febris accenditur.

Huius febris tres differentias Galen. aſſignat nono meth. tertio & ſecundo. de diff. feb. nono, quæ ex proportione oriuntur eius quod tranſpirat, ad id quod accenditur. Si aut vtraque paria ſint, aut eorum altera portio ſuperet. Vocantur autem illæ in quibus par eſt effluuium ei quod accenditur ὁμότονος, ſeu ἀκμαστικοὶ hoc eſt æquales & æqualiter affligentes: ſi minus ſit, ἐπακμαστικοὶ, ſeu ἀναβατικοὶ, hoc eſt increſcentes: ſi oppoſito modo res ſe habeat, & maior ſit tranſpirantium vaporum multitudo, quam eorum qui accenduntur, παρακμαστικοὶ, hoc eſt perpetuo inclinantes.

Diariarum autem nomen vſurparunt, idcirco quòd vt inquit Galenus, nono meth. primo, cum antiqui febrium omnium differentias in hecticas, putridas, & diarias retulerint, & hæc in nullum horum propriè referri poſſint, ne proprio nomine deſtituerentur, diariarum nomen mutuo acceperunt, quamuis ab inflammato ſanguine ortum accipiant, & in plures dies producantur, quorum vtrumque ab ephemerarum natura alienum eſt, vt primo cap. noni meth. & 2. de criſ. 13. quod maxime cum diariis conueniant: neutra enim earum putrida eſt, neque ad ſubſtantiam ephemerarum pertinet,

in plures dies non produci: multa quoque ſigna cum ephemeris, illis communia ſunt: quamuis igitur medium quoddam genus ſit diariæ, tamen febris nomen potius impoſitum eſt, quod ad eius naturam magis accedere videatur.

Cauſa antecedens eſt aceruata ſanguinis copia in venis.

Augetur facile ſanguis in iis qui carnoſo & denſo corporis habitu ſunt, præſertim ſi liberaliter nutriantur, alimentis quæ multum ſanguinem generent: carne multa, vino plurimo & generoſo, lacte, alica, recenti caſeo. Si intermiſta ſit aliqua ſanguinis euacuatio, aut ſuppreſſa: vt menſium, hæmorroidum, narium, cum prius fluere conſueuiſſent: ſi conſueti exercitij intermiſſus ſit modus, ſi mutilata alicui pars aliqua fuerit: ab his enim cauſis ſanguinem redundare neceſſe eſt.

Cauſa morbo immediata, & quam continentem ſeu coniunctam poſſumus appellare, eſt prohibita vaporum tranſpiratio, hæc à cutis conſtipatione fit.

Conſtipatur cutis ob frigus externum, ob ſordes hærentes cuti, ob balnea abſtringentia, & ob eiuſdem facultatis medicamenta, ob duriores frictiones, aut calorem cutim arefacientem. Prohibetur quoque ſanguinis perflatio ob nimiam copiam aut craſſitiem, nec non ob exuperantem carnis & pinguedinis molem.

Si itaque hæ cauſæ ſanguinē generātes & quę va-

porum effluuium comprimere & ſanguinem inflammare poſſunt præceſſiſſe intelligantur, morbus & morbi cauſa cognoſcetur.

Signa verò comitabuntur, calor multus, mitis, & vaporoſus, vt ſecundo de diff.feb. 9. faciei rubedo, oculorum, & temporum, venarum inflammatio, ſpirandi & loquendi difficultas, inuoluntariæ quandóque lachrymæ, nullus inſequitur rigor, neque ſudor, niſi inſtante criſis tempore: adeſt interdum ſomnus profundus, pulſus magni, veloces, & frequentes, æquales, in quo ſigno à putri ſynocho diſtinguitur, vrinæ rubicundæ, quæ licet aliquantulum craſſæ ſint, non tamen turbidæ ſunt, & confuſæ, neque cruditate humorum putredinem teſtantur.

Fit plerumque vere ob ſanguinis affluentiam, aut hyeme ob innati caloris robur. Exercet eos qui ætate & natura calidi ſunt & denſo corporis habitu, ac carnoſo & qui multam ſanguinis copiam acceruauerint. In corpore verò gracili, aut exangui, in frigido temperamento aut raro corporis habitu generari non ſolet, vt Galen. nono meth. tertio.

Quæ præcognoſcere oportet hæc ſunt. Niſi ſanguinis miſſione conuenienti à principio ſuccurratur, maximum imminere ægro periculum. ſuffocationis, vel ſyncopes, aut ne ſanguis in pulmones aut thoracē confluat, & peripneumoniā, aut pleuritim efficiat, ſi natura ſanguinis fluore è naribus, aut largo ſudore periculū non adimat. His enim modis ſoluitur morbus, vt nono meth.

quarto. Crisis frequenter die quarto accidit, vt tertio de cris. quarto: prorogatur tamen quandóque ad septimum vt secundo de differen. febr. xi. in principio & 2. de cris. 6.

Pro caloris magnitudine aut remissione, quo enim tepidior, eo maiorem admistam pituitæ copiam significat. Inuoluntariæ lachrymæ affectus prauitatem denotant, vt Auicenna prima 4. tract. secundo cap. 45. præsertim si ingens spirandi difficultas accesserit, præterea hæc in synochum putridam facile degenerat, pessima est quæ semper increscit, mitissima quæ semper remittitur.

Quod si humoris copia contingat gutturis partes inflammari malum est.

De synochi sine putred. curatione. Cap. XXI.



Ictus ratio sit omninò refrigerans & humectans, tenuis tamen.

Vtrique scopo accommodatissima sunt prisana hordeacea, panis lotus, cui addatur succus granatorum, iuscula pulli refrigerantia, vt in quibus oxalis, cicerbita, pimpinella, intybus, lactuca, portulaca, semina frig. incocta sint. quibus conuenientia alimenti genera parabuntur, & sorbitiones, modo meminerimus tenuem omninò victum huic morbo congruere, cum maxima

ſanguinis exuperantia cauſa ſit.

Potus ſit aqua hordei frigida, vel communis, quæ prius tamen percocta fuerit, ne in ventriculo lõgiorem trahat moram, ſaccharo, Iulep. violato, aut Alexãdrino, oxyſacchara, ſyr. acetoſo. ſeu vino granatorũ, ſyr. è ſucco citri, è ribes ex agreſta, de ſucco cucurbitę tẽperata, vel ſic parabitur.

℞. aquæ coctæ ℔. iiij. ſacch. lib. I. aceti ℥. iiij. vel ℔. ß. fiat potio qua vtatur dum opus fuerit. Hoc tamen animaduertendum eſt aceti vſum in iis ſuſpectum eſſe quibus inteſtina facile mordentur, mulieribus, gracilibus, & quanto maior eſt calor, tanto minus ſacchari adiiciendum eſt: ne in bilem vertatur. Vinum, carnes, & quęcunque multum ſanguinis generant, & calefacientia, interdicimus. Declinante morbo vino tenui & aquoſo vti licebit.

Curatio à venæ. ſectione auſpicanda, vnica enim eſt in hoc morbo intentio refrigerandi ſcilicet, ea igitur vel ad animi vſque deliquium imperanda, vel partienda vſque dum educto ſanguine ægrotantis calidior habitus in frigidiorem vertatur, vt iubet Galen. nono meth. quarto, ſi vires conſtent, tum animi tum corporis, & ætas permittat, ad animi deliquium, ſi horum alterum deſit, primo detrahere pręcipit, quantum ſatis viſum fuerit, quod defuit iteratione ſupplere: verũ magis conducet ſanguinis miſſionem repetere vt veſperi vel ſequenti die, quam ſemel tantam quantitatem detrahere, præſertim ſi æger tale pręſidij genus reformidet. Quòd etiam probat

Auer. ſeptimo coll. octauo, tribus argumentis, primum eſt, Natura nunquam educit ſanguinem vſq; ad ſyncopin, niſi ſymptomaticè, At medicus imitatur naturam, ergo neque id medicus moliri debet. Secundo, Euacuatio fit ratione ſuperflui tantum, ergo ſuperfluus tantum ſanguis debet euacuari. At in euacuatione vſque ad animi deliquium, naturalis ſanguis patietur detrimentum, ſatius autem eſt vt caloris præter naturam aliqua portio relinquatur, quã calorem innatum imminui. Tertio, In huiuſmodi corporib⁹ aliqua eſt præparatio ad putredinem, at ſi tanta ſanguinis quantitas mittatur, diminuto calore naturali humor corrumpetur, virtus diminuetur, nec putredo corrigi poterit.

Citiſſime vero præſidium hoc adhibendum eſt, ne ſuffocationis aut ſyncopes periculum inſequatur: aut ne ſanguis in pulmones aut thoracẽ præcipitetur: aut ne interea putredo concipiatur. Molliatur tamen prius aluus iniecto clyſtere molli & refrigerante.

Secta itaque vena interna dextri cubiti, ſanguis copioſus educatur, ex parua enim eductione nullum ſequeretur ægrotanti commodum: habitus nanque corporis refrigerandus eſt, in hunc vſum frigida quoque potio à Gal. præſcribitur. Verùm ſanguinis miſſione priori loco, poſterius vbi vehementia caloris vrgeat, & ſitis admodum infeſta ſit, frigido potu vtendum. Si morbus quarto die terminandus ſit, circa quartum diem, ſi ſeptimo, tardius, ſi quarto die termi-

naturus sit, postridie missionis sanguinis bilis educatur leui medicamento purgante. Quod si septimo terminetur, syrupis refrigerantibus sanguinis æstus temperandus est, quos iam in curatione tertianæ exquisitæ pręscripsimus: de endiuia, ex acido succo citri, è nymphæa, violato, è cucurbita oxysacch. è portulaca, & similibus, vna cum aquis stillatitiis, aut decoctis conuenientibus tribus diebus repetitis, deinde biliosa materia educatur, sumpto leui medicamento purgante, aut infuso & expresso rhab. aut hoc quod sequitur.

℞. prunorum, sebesten, an. pug. iiij. quatuor sem. frig. an. ʒij. trium florum cord. an. p. I. sem. anisi. ʒi. Tamarindorum ℥i. fiat decoctio, de colatura & expressione ℞. ℥iiij. ß. syrup. rosa. solut. ℥ij. fiat potio. vel solus syrupus ros. solus ad ℥iiij. cum aqua end. præsertim si æger inops sit propinetur. Post medicamenti exhibitionem, si calor & sitis vrgeant, cum morbus in statu iam sit, aqua frigida propinanda est.

Porrò in eius exhibitione hæc obseruanda sunt, vt notę prius concoctionis appareant, nec lentorum & crassorum humorum adsit copia, vnde viscera obstruantur, neque in ipsis visceribus inflammatio, scyrrhus, aut ædema sit, nec ventriculo æger sit imbecillo, nec aquæ potioni insuetus, vt 9. meth. 5.

Tempus autem exhibitionis est cum morbus ad statum deuenerit, & quę enumerata sunt nihil impediant, tunc enim solidarũ animalis partium

natura roborata pręrenuatos iã humores aggreditur,ita vt qui vtiles ſunt, & ad nutriendum habiles, ad ſe trahat,inutiles per cutim vel per ventrem eiiciat,vt eod. cap.Gal.

Læduntur larga aquæ potione qui parum ſanguinis, & parum habent carnis, quia celeriter ad animalis partes perueniens,frigus earum temperiem vitiat, cum nulli occurrat quo ipſius vis infringatur: vnde tremor, imbecillitas oris,ventriculi,hepatis, ſepti tranſuerſi, difficultas ſpirandi & deglutiendi: vt ſeptimo meth.octauo, & quibus intempeſtiuè immodicéque exhibita fuerit, tunc enim craſſos humores digeri prohibet. Huius rei certiſſima fides ab experientia petenda eſt, cum concoctis humoribus aqua frigida exhibita ſudores moueat, in principio verò nullam præſtat vtilitatem,vt nono meth.quinto,eadem ferè ratio eſt principij & declinationis.

Cum igitur duo tantum remedia harum febrium Galenus agnouerit, liberalem ſanguinis miſſionem, & frigidam potionem largam, illam quouis tempore iubet exerceri, modo vires conſentiant,hanc verò ſolum ſi enumeratę conditiones adfuerunt.

Quod ſi aliquid impediat, præſertim ventriculi imbecillitas, ſequenti remedio vtendum.

℞. conſerue roſ.acetoſę, nenuph. an.℥i. conſeruæ florum bugloſſi ℥.ß. Trochis.è camphora ʒ.1. pulueris elect. trium ſant. diamarg. frigid. corall. rub. an. ℈ij. fiat conditum aureis foliis coopertum,ſumat coclearium vnum conditi hu-

mectati aqua frigida, postea syrupi diluti aquam, vel aquæ frigidæ cyathum vnum: alij cōdita miscent aquæ, & sine syrupis bibunt: vel vtatur frequenter electo quod manus Christi perlata appellatur, vel hoc. ℞. conser. ros. flor. buglossi an. ℥. ß. pulu. trium sant. & diatrigach. frigid. an. ʒi. manus Christi perlatę ad duplum ponderis omnium, paretur electuarium, vtatur frequenter ad cochlearis quantitatem aqua humectato, vel aqua frigida diluto, vel vbi cochlearium vnum assumptum fuerit, frigidam grato aliquo syrup. temperatam bibat.

Renum quoque regio, & dorsi infrigidanda ęst in hunc modum.

℞. infrigidantis Gal. ℥iij. camph. gr. vj. misceantur & vtatur frigido.

At quoniam in hoc morbo cor & hepar inflammari solent, oppositis epithematibus refrigeranda sunt.

Interea si resistit aluus mollibus clysteribus incitanda est: postremo videndum an densitas cutis vel obstructio transpirationem impediat: vnde putredo, & febris putrida excitetur.

Si igitur frigore densata est, calidis laxantibus erit vtendum, vt leuibus frictionibus vna cum oleo cham.

Si densata sit adstringentibus & siccata, vt aluminosis balneis, confugiendum ad ea quæ humectant & relaxant, vt ad hydreleum, & in declinatione ad balneum aquæ dulcis quandoque.

Si cutis occluditur humorum copia, vacuatione opus est. Si humorum crassitie, attenuantibus, & incidentibus. Si lentore, detergentibus, vt diluto oxymellite, &c.

De synocho putrida, & an ex Galeni sententia putrida febris ex sanguine generetur. Cap. XXII.



SÆpe diuque disputatum est. An Galenus febrem ex putrido sanguine fieri existimet, & quæ sit eius in hac re sententia.

Auicenna prima quarti tr. 2. cap. 45. existimat Galenum nullam opinari ex putrescente sanguine febrem accendi, quæ à sanguine denominationem accipiat, sed quod vbi primum putrere cæperit, in bilem commutetur, & febrem biliosam accendat. Hanc opinionem improbare contendit, & in Galenum tanquam ita sentientem multis argumentis inuehitur, quæ idcirco neque referenda neque diluenda censeo, quod temporis angustia id minime patiatur, & quod explicata Galeni sententia, facilè cognitum iri existimem Auicennam aut parum assequutum quod Galenus senserit, aut ab eo studiose dissensisse.

Auerrois autem 4. coll. 31. parum sibi in hac re Galenum constare existimat, & modo biliosam opinari ex putrescente sanguine, modo aliam febrem accendi: si quando omninò putruerit, pro-

priam interea opinionem refert 3. coll. 8. & 7 ca. 8. Gentilis in expositione verborum Auic. adducti capitis cōcordiā inter vtrūq; molitur, cū tamē nulla possit esse inter eos qui studiose dissentiūt.

Recentiorum varia est opinio, quid Gal. senserit. Aliis aliter ipsius opinionem diuinantibus.

Ego verò existimo perspicuam esse Galeni sententiam, si quis diligenter principia & suppositiones ipsius animaduertat, & eorum sit memor, quę ab eo in variis libris scripta sunt, quam quidem paucis me explicaturum confido.

Primū itaque supponendū est, quod illi in quęstionē reuocatū putant. Sanguinē putrere, & ex eo putrefacto febrē accendi, eamque synochum appellari. Id enim 8. meth. ca. 3. asserit, & 2. de feb. differ. 2. & 11. & 3. de cris. cap. 4. nec vspiam Galenus huic sententiæ contradixit.

Alterum medicorum omnium consensu & testimonio ac experiētia confirmatum est, febrem hanc nulla periodorum ratione distingui, vt 2. de diff. feb. 11. periodus enim ad plures accessiones refertur. At febris hæc vnicam tantum habet accessionem: vt eodem secundo de diff. feb. secundo & nono meth. secundo. Periodica igitur dici nullo modo potest.

Tertium est omnes periodicarū febrium idæas in tres tantum referendas esse, in quotidianam, tertianam, & quartanam, vt secundo de diff. feb. secundo & tertio, & secundo de cris. 12. nam quæ compositæ sunt, propriam non habent formam, sed ex multis simplicibus comparatam. Cætero-

rum vero humorum vnumquemque vnam ex his periodorum ideis ſibi vendicare. Vt omnium confeſſione teſtatum eſt.

Hæc iuxta Galeni placita rata eſſe oportet.

Quod autem litis & controuerſiæ cauſa eſt, hinc duxit originem, quòd cum quærat Galen. ſecundo de diff. feb. cap. 9. num putreſcens alicubi ſanguis diſtinctam periodis febrem accendat: vt ſi extra venas pulſus inflammationem pariat, vel bubonem, pleuritidem, aut aliam quamuis, ſi ab ea febris excitetur ad quam periodorum formam pertineat? cum neceſſe ſit earum trium aliquam imitari, oſtendit quotidiano euentu ab inflammationibus febrem excitatã tertianis circuitibus repetere, & idcirco bilioſam eſſe, hoc enim in pleuritide apertè cognoſcitur, nam ea laborantes cruenta ſputa reiiciunt, exuperantem inflammationis humorem indicantia, cum tamen interea tertianis periodis repetente febre laborent.

Neceſſe igitur eſt ſanguinem putreſcentem ad amaræ bilis naturam conuerti, cum ab eo bilioſa febris accendatur, vt etiam docet ſecundo de criſ. decimo ſecundo. Idem quoque altero indicio cognoſcetur. Si quis enim bubonem aut aliam quamuis inflammationem maturius ſecuerit, quæ febrem excitet tertianam, protinus ſanguis effluet ſubflauus, à quo putreſcente febris accendebatur. Quod ſi ſupra modum aſſetur putredine ſanguis, pars quidem tenuiſſima ſimul & pinguis in pallidam bilem craſſior

in atram vertitur, vt in carbunculis accidit, & eodem secundo de febr. differen. cap. nono ostenditur.

Hinc adducti fuerunt multi, vt crederent Galenum opinari nullam ex putrescente sanguine febrem accendi, sed eum protinus in bilem commutari, omnemque febrem biliosam esse, si à sanguine putrido accendatur. Alij Galenum non satis sibi constare. Vnde in varias sententias itum est, prout cuique rationi consentanea magis opinio videbatur, quam deinde variis rationibus & commentis adstruere conati sunt. Piget referre hominum alioquin insignium adeo discordes sententias, cum tamen numquam Galenus in dubium reuocauerit, an synochus febris ex putrido sanguine in venis maioribus accendatur. Id enim pluries asseruit, neque id quod ab eo inquiritur secundo de differ. feb. 9. ad synochos pertinet, cum nulla periodorum forma in synochis febribus cognoscatur. Periodorum enim ratio ad eos tantum humores pertinet qui à venis maioribus in minores aut extra venas pelluntur. Id autem facile exemplo veri causi potest intelligi, in quo nulla periodorum forma cognoscitur, vnde synochi etiam quandóque nomen ei attributum videmus, quamuis à bile putrida generetur.

At cum in synochis febribus sanguis in venis maximis putreat, nulla erat periodorum ratio requirenda. Sed vbi longe à corde putrescens febrem accenderit.

Mirum ergo videtur quur in dubium reuoca-

tum fit, senserit ne Galenus febrem ex putrido sanguine generari, cum eam toties expresse, & in proprias differentias secuerit, & curationem instituerit. Existimat itaque febrem ex sanguine quidem putrido generari, eam tamen breuem esse, quamdiu à solo sanguine fiat, degenerat enim facile præ caloris vehementia tenuior pars sanguinis in bilem, à qua noua quædam natura febri acquiritur, & mixtionis ratio, nec iam simplex est febris causa, sicut neque febrem ex vno tantum humore videmus consistere: sed in qua vnius tantum humoris signa apparent, cum facile sit ad proximum & contiguum humorem putredinem serpere.

Neque propterea existimandum est eandem esse cum causo, cum signa diuersa sint, & diuersa vtriusque curandi ratio. Quis enim in ardente febre exquisita sang. mittat ad animi vsque deliquium? quod tamen Galenus imperat in synocho. nec vrget authoritas ipsius primo Aph. vigesimo tertio, ibi enim de synochis loquitur ex sanguine.

Hæc est Galeni sententia quæ in dubitationem minime reuocanda est.

Superest modo causam afferamus quur sanguis putrescens biliosarum febrium periodum imitetur non aliarum.

Quod vt intelligamus, sciendum est sanguinem omnem si probus sit, medium quoddam temperamentum obtinere, à quo recedens ad bilis vel ad pituitæ naturam accedit: eo magis, quo ad ca-

lidam vel frigidam intemperiem magis inclinauerit: vt ostendit Gal. quarto de san.tu.ca.quarto cũ in se potentia omnes humores contineat. Pręterea si sanguis medium & conueniens temperamentum seruet, sanitatis causam esse, si ab eo recedat, morbi, & deprauatarum actionum. At cum omnis putrefactio ab exuperanti calore fiat, qui quidem ab innato diuersus est, vt authoritate Arist. Gal. probat eodem secundo de differ.feb. 9. necesse est putrefaciendum sanguinem, alieni caloris vi à propria natura prius abduci, & in alterius temperiẽ declinare. Verùm cum immodicè calefactus sit, ad pituitæ naturam accedere non potest, quæ à diminuto calore generatur, neque melancholici, cum is ab ingenti assatione aut absoluta putredine generetur, quæ ad incinerationem deduxerit: reliquum igitur est vt putrescens, & dum putruit, biliosi humoris naturam imitetur & periodum.

Hac Galeni sententia rite percepta nullus erit dubitationi locus.

Quidam recentiorum Galeni verba potius quam sententiam impugnantes, studio nouarum rerum aiunt ex putrescente sanguineam febrem accendi oportere nõ. biliosam: sicut enim bilis putrida biliosam febrem putridam denominat, ita & sanguinem qui putredine in bilem degeneret, sauguineam febrem denominare oportere.

Cui sententię neque Gal. omninò repugnat, synochum. n. à sanguine denominationẽ habere,

naturam, ſigna & tandem curationem exiſtimat.

Sed cum neceſſe ſit ſeparatũ ſanguinẽ, & extra venas emiſſum aliquam periodi rationem ſeruare, cum ab eo ſynochus accendi non poſſit, & ab immodico calore quẽ à putredine excitari neceſſe eſt facilime in bilem flauam maxima ſui parte degeneret, fit etiam vt bilioſas periodos imitetur, ea verò tranſmutatio ita ſe habet, vt primum tenuior eius pars & pinguior pallidę bilis naturam acquirat, ita tamen vt ſanguis quoque temperiem partim retineat.

Quod ſi putredo vlterius proceſſerit, & totam ſanguinis ſubſtantiam prorſus occupet, craſſior quoque eius pars in atram bilem commutabitur, vt in carbunculis contingit, neque enim tota ſanguinis ſubſtantia pariter putredinem ſubit, hæc ex ipſius verbis facile intelliguntur: nam ſecundo de criſ. 12. ait, (quæ enim ex ſanguinis putredine febris accenditur quodammodo bilioſa eſt, ob immoderatum calorem). Loquitur autem de eo qui in inflammatione continetur & ſecundo de febr. differen. nono inquit. (Quocirca ratione non caret putreſcere ſanguinem ipſum in locis inflammatione affectis, febremque ex eo ſimpliciorem eſſe quam ex aliis humoribus, proportionem autem acceſſionũ tertianæ circuitionis potiſſimum ſumit, ita enim fieri cernitur in pleuriticis, quoties rubrum expuunt). Licet igitur tertianaproportio ſeruetur non tamẽ bilis exquiſita eſt, cũ febris ab eo excitata ſimplicior ſit, ob id & paulo inferius ait. Febres igitur cõſiſtẽtpro ſpecie

humoris in quem commutantur tantum, modo dissidentes malignitate & clementia. Simpliciores enim sunt febres ex sanguinis mutatione, tum cætera, tum caloris lenitate: & si enim quam maxime multus manus occursu deprehendatur calor, prorsus tamen mitis est, sicut is qui post balnea accedit, hæc sunt Galeni verba.

Cum igitur quodammodo biliosam vocet, humorem significat qui à proprio temperamento recedens in vtriusque confinio constitutus sit, licet tertianas periodos imitetur: neque diligētius aut aptioirbus vocabulis poterat rem exprimere: motus enim à fine denominatur.

Neque vero par est omnibus humoribus transmutationis facilitas, cęteri enim longa aut vehementi actione in alios degenerant, bilis flaua in atram, pituita in sanguinē. At sanguis inualescēs immodice aliena caliditate, & putrescens, facile in flauam bilem tenuiore sui parte vertitur, ob affinitatem substantiæ, licet crassus longa assatione egeat, vt in atram vertatur. Cęterum sicut bilis flaua quæ assatione in atrā versa est relicto priori nomine, vt febrem quartanam efficit, ita denominat, eodem pacto quæ à sanguine putrescente initium sumpserat, ab eo denominanda est, in quem transmutatur, & biliosa debet appellari.

Immerito igitur Galenus reprehenditur, si eius sententia sincere intelligatur. De synocho autem putri nobis agendum est, iuxta eiusdem placita, remediorum tamen rationem his temporibus accommodabimus.

De causis, signis, & prognostico. *Cap.* XXIII.

FIt ab eisdem causis quibus & altera, primitiuis & antecedẽtibus, validioribus tamen, quæ nõ modo inflãmationem, sed etiam putredinem generant. Efficacissima est cutis non simplex constipatio, sed ab impactis humoribus multis, crassis, & lentis venæ obstructio, quæ tenues iecoris habitúsque corporis venas infarciat. Nonnunquam putridorum vaporum occursu febris hæc accenditur, vt in pestilenti constitutione contingit: vt Galenus primo de diff. feb. quarto. Coniuncta siue continens est putredo, & impurior sanguis, qui facile putredinem concipit.

Distinguitur à non putri magnitudine & vehementia, calor in hac acrior multo ob putredinem. Vrina rubra, crassa turbida, aliquantulum ad liuorem vergens, fætetque nullo sedimento. Pulsus vt in illa, magnus, sed velocior contractio quam dilatatio celerior, ob vaporum eleuatorum copiam, quod proprium est putridarum, vt primo de differen. feb. 7. inordinatus præterea, ob materiæ copiam aggrauantem.

Eadem ferè huic est & priori ratio prædicendi, verum periculosior hęc est, prębsertim si alui fluor à principio iungatur.

Quarto quandóque die solet iudicari vt tertio de cris. quarto. Verùm cum id raro contingat,

videndum num eo die perſpicua coctionis ſigna appareant,tunc enim die ſeptimo criſis ſperanda eſt, excretionibus a natura concitatis, quæ non dubiam ſalutis ſpem portendunt,hæmorragia, alui profluuio,ſudoribus,vrinis,interdum quoque & vomitu.

Sexto die ſi contingant excretiones, quamuis ſigna coctionis prçceſſerint, infida erit criſis, & imperfecta: nam vel recidiuam facit,vel iugulat, vt primo de dieb.decret.cap.4.

Si fluor alui a principio largior vexet, vires ita abſumit,vt poſtea coquẽdo morbo ſint impares. Si a materiæ copia fiat, modo diutius non perſeueret morbus, breuiorem facit: ſi a maligna humoris qualitate,ægrum frequenter interimit.

Soluitur interdum maculis quibuſdam purpureis erumpentibus, quç ſi ſequãtur ſigna coctionis ſalutẽ,ſin minus, mortem portendunt, de quibus Hipp.2.epid.ſect.3.ferè in principio,&ait culicum morſibus non abſimiles. Et Galen.6. epid. com.1.com.29.vocat eas febres pemphygodes.

In hac febre quandóque contingunt variolæ, & morbili,ſi ſanguis &membra veneficam illã luem à conceptione contractã adhuc retineãt:vt Auer. 3.coll.8.verũ cum triplex ſit,ſicut & altera,quçlibet vnica acceſſione finitur,non antea miteſcens aut intermittens quam ex toto deſinat.

Si toto decurſu par eſt putredinis modus homotonos, ſi plus putreſcit quam diſſipatur, ἐπακμαστική ſi oppoſito modo, παρακμαστική.

Omnium perniciosiſſima,quç ſemper increſcit,

mitiſſima quæ perpetuo inclinat, reliqua medio ſe habet modo. Cardanus lib.1.cont.tr.4. cõtrad. 14. dicit febrem hanc non diuidi in tres illas diff. ſed eam tantum quæ ſine putredine eſt, verùm hæc opinio clare contradicit Gal.2.de differ.feb. vltimo, vbi etiam Praxagoræ opinionem adducit, & eam approbat.

Victus ratio refrigerans ſit & humectans, ſicut in altera requiri diximus: verum putredinem magis corrigat temperato potu, vino granatorum dulcacido aut ſyrupis acidis aqua frigida dilutis.

De curatione. Cap. XXIIII.



CVratio ad duos ſcopos referẽda eſt, euacuationem & alterationem.

Primum itaque aluus eluenda eſt, niſi ſponte lubrica ſit, molli & refrigeranti enemate: ſi tamẽ in ſuperioribus ventris partibus grauitas percipiatur, aut in ventriculo humores corrupti ſui aliquod indiciũ prębuerint, ſatius erit leniente ſumpto pharmaco aluum ſubducere, quale iam ſæpe deſcriptum eſt, aluus. n. horum remediorũ aliquo ante venæ ſectionem irritanda eſt, niſi forte ſuffocationis periculum immineat, tunc enim venę ſectio alui lenitionem præcedat, & ſtatim aut enema, aut leniens pharmacum inſequetur, vt Hippoc. 4. acut. 21. toto vero morbi progreſſu quoties aluus excrementa non egerit. molli clyſtere & refrigerante ſubluatur.

In euacuatione primas partes obtinet venæ se-ctio. Sanguis igitur quam primum mittendus est copiosus, sicut in altera imperatum est, vt educto sanguine aër venas ingressus, humores refrigeret, & ita putredinem inhibeat: calore illo ferè extincto. Galenus nono meth. ca. 4. phlebotomiam celebrat, quæ sit ad animi defectum, sed genus hoc remedij iam pridem cæpit esse suspectum, quod minus habeat vtilitatis quam periculi, vt declarat infœlix quorundam exitus, qui cum animo defecissent, non potuerunt reuocari. Tutius igitur est venæ sectionem partiri, & vel iterum, vel etiam pluries repetendo, paulatim & per interualla tantum sanguinis adimere, quantum ægri conditio & morbi status exigit.

Deinde syrupi exhibendi sunt refrigerantes, & qui putredinem arceant, ex acido citri è berberis, è succo acetosæ, oxysacch. è nymphea, ex endiuia, quibus miscendæ sunt aquæ refrigerantes, vel decocta.

Concoctis iam humoribus, & haustu syruporum præparatis, putridi educendi sunt medicamento purg. hoc, vel simili. ℞. rhab. el. ʒiß. mirob. citrin. ʒ. iij. infundantur in aqua endiuię per noctẽ vt artis est, & mane facta expressione, adde pulpæ Tamar. ℥i. syr. rof. sol. ℥i. ß. aquę end. q. s. fiat potus, sumatur in aurora.

Alterationem humorum frigidæ potus præstabit, si præpositæ adsint cõditiones, quod insignis nulla sit in visceribus obstructio, neque apostema, neque imbecillo sit ventriculo, neque potui

aquæ insuetus, carnosóque sit corporis habitu, & coctionis signa pręcesserint. Duo enim remediapotissima Galenus recenset, venæ sectionem vberrimam, & frigidæ potionem nono meth. quinto, alterum morbi causam adimit, alterum morbo remedium est.

Auerr.7.coll. cap.8. asserit concoctionem non esse expectandam, cum ex mora immineat extinctionis interea periculum, & ex immaturę frigidæ exhibitione tantum morbi longitudo. Quare si febris admodum vehemens sit, multi existimant ante coctionem quatuor frig. libras posse exhiberi, præstareque longitudinis morbi quam mortis periculum subire. Alij genus hoc remedij formidantes ægrotantem moliunt, aliis medicamentis refrigerāt. sumptis & admotis, succo acido citri condito diluto multa aqua frigida cocta, vel syr.acetos.s. cui muccagop syllis adiuncta sit, vt. ℞.syr.acetos.s.℥iiij.muccag.psyllij ʒij. aquæ coctę ℔.ij. bibat in ingenti siti: aut addendo sacch.viol.℥ij.confice Iulep. longum clarificatum, vel loco aquæ communis sumendo tantundem aquæ acetosæ, vel endiuiæ, idem præstabit sola aqua hordei cum Iulep. viol. vel Alexan. secus applicentur epithemata refrigerantia cordi & hepati qualia sæpius diximus: renes quoque refrigerante aliquo vnguento temperandi, vt superius dictum est.

Præterea cum ab immodico calore viscera debilitata sint, eis robur addendum est, in hunc modum.

℞. pulu.elect. trium ſant. ʒi. trochis è ſpodio. trochis.è camph. an. ʒß. coralli rubei ℈ij. conſeruæ roſ. conſeruæ capill. ven.an. ʒij.ſacch. albi diſſoluti in aqua roſ.q.ſ.fiat confectio in orbiculis pond. ʒij. è quibus vnum ſumat mane & veſperi ante paſtum, deinde ſuperbibat modicum aquæ endiuiæ.

Vel ſic. ℞.conſeruæ roſ. ℥ß. flo. conſeruæ florum bugloſſi ʒij.pulu.diamarg. frig. & triũ ſant. an. ʒß. pulu. corall. rub. ℈iiij. pul. Chriſtalli ʒi. manus Chriſti q. ſ. vel ſacch. albi diſſoluti in aqua roſ.q.ſ.fiat confectio in orbiculis, qua vtatur vt dixi.

Quod ſi velimus conditum aluum magis ſubducere,loco confect.roſ.imponemus conſeruam viol. & florum borrag.

De ſymptomatibus,ſiti,vigiliis, cap. dolore, in curatione cauſi ſatis abunde dictum eſt.

De hecticæ febris ſignis, cauſis, & prognoſtico. Cap. XXV.



Ectica febris calor eſt præter naturam cordis ſubſtantiæ primum infixus, mox & reliquarum partium ſubſtantiam obſidẽs: ſic appellata quod altas adeo radices egerit, vt iã aut nullo modo, aut difficillime extingui poſſit. Cum enim reliqua febrium genera in diſpoſitione ſint Greci ἐν σχέσει vocant, eo quod in eis ſpirituum vel humorum

calor in ſolidas tantum corporis partes effunditur, hæc quoniam calorem in cordis p. mox & reliquarum partium ſubſtantiam infigit, in habitu contracta eſt, vel numquam, vel maxima difficultate poteſt immutari.

Corporis totius ſubſtantia duplici materia cõponitur, ſicca & humida, ſicca ſoliditatem & firmitatem partibus exhibet : humidæ verò ſubſtantiæ quæ in corpore exiſtit triplex eſt ratio, nam vel carnoſa eſt, vel primigenia, vel elementaris, carnoſa eſt humor concretus alimentarius qui in venis prius continebatur, primigenia eſt ipſius innati calidi ſubſtantia, in qua ſpiritus & calor innatus conſiſtit, elementaris eſt qua ſolidæ partes conſiſtunt, hac triplici humiditate partes omnes conſtituuntur.

Tres autem ſunt hæcticæ febris differentiæ, quę tanquam gradus, ſeu tempora diſtinguntur. Prior eſt cum febrilis calor cor & vnam quamque ſimilarem partem inuadit, & ab innata temperie dimouet. Carnoſa ſubſtantia primũ incenditur & efferueſcit, nondum tamen inſitus humor abſumitur, ſed fit ipſius veluti quædam ebullitio: nec partium facultas adhuc debilitata eſt 1. de diff. feb. nono.

Altera ſpecies eſt cũ procedẽte ebullitione, ipſa etiam ſimilaria corpora ſicciora euadunt, minuſque aliméti ſentiũt: ipſa inſita partibus humiditas exareſcit, carnoſa ſubſtantia aut plurima, aut tota abſumpta eſt, facultas debilis redditur, tantum quantum ſiccitas & caliditas exuperant, in

hac ampla eſt latitudo, quę maioris minoríſque ratione diſtinguitur.

Vbi confirmatus calor inſitum humorem, & rorem inanibus ſimilarium partium ſpaciis conceptum, & mox futurum ſolidis partibus alimentum conſumpſerit, tertia iam incipit ſpecies. In hac primigenium cordis & totius reliquę ſimilaris ſubſtantię humidum abſumitur, quod rurſus inſtaurari nó poteſt: vt decimo meth. vltimo, & in lib. de maraſ. c. 5. inſitus ſpiritus exhauritur, & ipſa ſolidarum partium pinguis humiditas, earumque ſubſtantia liqueſcit: hæc marcor, ſiue hectica maraſmodes appellatur: cum cęterè tantùm hecticæ dicantur: in hac vires omnes viriumque functiones intercidunt, vt eod. cap. lib. de differ. febr. Gal.

Fit etiam quandóque ætatis decurſu marcor, abſque febre, dum paulatim ſenio & naturali ſiccitate abſumpto humore, calor innatus extinguitur, fitque ſimplex ex ſenio maraſmus: & ab eo dolore prorſus vacua mors: ſicut arbores vetuſtate & ſenio marceſcunt. Fit etiam quandóque frigidus maraſmus ſenio ſimilis, ex febrium permutatione, vbi intempeſtiuè refrixerint, tum frigidæ potu, tum remediis id genus adhibitis. Intempeſtiuè adhibentur, ſi immoderatus ſit eorum vſus, aut non congruo tempore, aut ſi ambo ſimul conuenerint, vt in lib. de marcor. cap. 5. & 1. de diff. feb. 8.

Auicenna prima quarti tr. tertio, tres has differentias explicat, propoſito exemplo olei quod in lu-

in lucerna continetur, & eo quod ab elychnio ebibitum eſt, & proprio elychnij humido, à quo ipſius partes cohærent. Aliter videtur Galenus decimo, meth. vltimo, huius febris gradus diſtinxiſſe. Primum enim ait, febris hæc propriam partium humiditatem depaſcit, deinde carnoſum genus, quod circa fibroſas & membranoſas partes ſolidorum corporum hæret. ita deinde ſolidas populatur, hoc eſt fibroſam & membranoſam partium ſubſtantiam. Verùm hic non diſtinguit ſpecies hecticæ, ſed quid primo, & quid deinceps conſumatur, vt etiam ſeptimo meth. ſexto.

Triplex eſt autem eius generationis modus, aut enim per ſe incipit, aut ardentes febres inſequitur, aut alicuius partis affectum comitatur.

Per ſe incipit, cum ex cauſa aliqua antegreſſa conſiſtit, ſimilem habens generationem diariæ, ob mærorem, iram, laſſitudinem magna cũ vſtione contractam, aut ob aliam occaſionem corpus immodico calore exſiccantem: Id autem duobus modis poteſt contingere: nam vel ſtatim inuadit, vel excitatæ primum diariæ ſuccedit, vt primo de diff. feb. 8. & 9. primus infrequentiſſimus eſt, alter non raro ſolet euenire.

Excipit ardentes febres & acutas, ſi vehemens ſit febris incendium, laboranſque calidus & ſiccus diutius inediam & ſitim tolerauerit, cum ſummopere frigidam expeteret, nullumque refrigerans remedium hypochondriis aut thoraci adhibitum incendium temperauerit. Liqueſcit

enim præ calore carnoſa partium ſubſtantia, & febris partes ſolidas inuadit, & breui tempore idem efficit quod ſimplex hectica paulatim & multo tempore hæc priore frequentior eſt.

Quæ verò partis alicuius affectum inſequitur, ſymptomatica quodammodo eſt, fit ex affectione cordis, pulmonis, thoracis, ventriculi, hepatis, renum, veſſicæ, vteri meſeræi ieiuni aut coli inteſtinorum, ſi harum partium aliqua inflammationem paſſa putulenta aut tabida euaſerit. Cum enim in his febrilis calor diutius perſeueret, corpus ipſius nimium exiccari neceſſe eſt, febremque ſolutu difficilem & cæteris partibus ſummam ſiccitatem ingenerari: hi ſunt eius generationis modi.

Corripit hectica febris tenuia corpora, ſicca & exanguia, ſi vitam egerint in labore, vigiliis, curis & victu tenui, præſertim ſi æſtas & conſtitutio calida & ſicca locuſque eiuſmodi fuerit: ſi euidentes cauſæ vehementes præceſſerint: ira, mæſtitia, labor, eſtus, ſitis, inędia. hæc enim ſi leuiora ſint, ephemeram, ſi vehementia hecticam generant ſimplicem: cordis ſubſtantia incenſa, in quo huius affectus proxima cauſa eſt: cordi autem cæteræ ſtatim partes pro modo affectus conſentiunt.

Commune eſt cuiuis hecticæ febrilem intemperiem non ſentire cuius rei cauſa eſt æqualis calor omnes partes obſidens, & prorſus mutata natura, vt in libro de inæquali intemperię cap. 3

Quod si quædam inæqualitas percipiatur, implicatæ alterius febris indicium est.

Commune preterea signum calorem mitem in primo occursu mox manum diutius continenti, acrem, & mordacem apparere: manifestiorem in volis & plantis pedum, quod ad eas partes extremę venæ pertineant, & nudatæ effluuium caloris facilius effundant. Proprium insuper est & inseparabile cuiusuis hecticæ indicium vt ingesto cibo calor accendatur, pulsusque in magnitudinem ac velocitatem increscat: ita vt noua accessio imperitis videatur.

Maximum autem signum ac proprium cuiuis hecticæ febr. est, si arterię calidiores sentiantur quam circumposita corpora, id autem euidetius cognoscitur, vbi aut balneo, aut alia simili occasione sudor expressus sit & calor perspirauerit, moderatior enim in reliquis partibus apparet, in arteriis nihilo priore minor cognoscitur, sentitur autem potissimum per pulsuum diastolas.

Hæc signa obscura in prima specie, manifesta in secunda, apertissima in marasmode visuntur: propria autem cuilibet speciei signa sunt, quibus à cæteris distinguitur. Incipientis igitur hecticæ seu primi gradus indicia hæc sunt.

Si euidentes causæ vehementes antecesserint, febrísque in tertium aut quartum diem producatur, cum iam ephemera dici non possit, nequaquam ad integritatem desinens, aut euadens vehementior, sed æqualiter perseuerans nullum

laboranti doloris ſenſum inferat: ita vt iam neque ſe febricitare exiſtimet, & leuis interea ſqualor totius corporis contrahatur.

Si calor mitis primum tangenti occurrat, mox acer & mordax.

Si pulſus ſit debilis, paruus, & frequens, arteriæ circumpoſitis partibus calidiores ſentiantur, in pulſuum maxima diaſtole.

Si hora vna aut altera ab ingeſto cibo calor exacuitur, ita vt alterum incrementum ſeu nouam acceſſionem febris habuiſſe videtur, pulſuſque frequẽtior & celerior euadit. Sicut enim calx frigidiſſima aqua conſperſa calidior multo redditur, ita ſolidæ corporis partes hectico calore obſeſſę calorem ampliorem effundunt, dum humiditas alimenti cordis ſqualorem humectauerit, vt 1. de diff. feb. 9.

Secundus hecticæ gradus ſeu ſpecies hinc cognoſcitur, quod præter ea quæ adducta ſunt, ab ebullitione humiditas conſumitur, partes ſimilares increſcente cordis ſiccitate liqueſcunt, & abſumuntur, cutis arida fit, vrinæ pinguedo innatat aranearum telas referens, facultas tantum debilitatur quantùm calida & ſicca intemperies intenditur, pulſus durior, minor, ac debilior multo. In hac multa latitudo eſt, prout ad priorem ſpeciem vel ad maraſmum accedit.

Febris maraſmodes, marcor, & tertius hecticæ gradus incipit cum circumfuſa humiditas inanibus ſpaciis partium ſimilarium, ex qua membra primum aluntur, nulla iam in ipſa cordis ſubſtan-

tia ſupereſt cum prius hectica tantum diceretur, vt primo de febr. differ. nono, vniuerſus deinde corporis habitus abſolutam fere ſiccitatem & conſumptionem præſefert. Oculi ſupra modum caui ſunt, & quaſi in fouea conditi, prominentibus quæ circunſtant oſſibus, aridæ palpebræ, vix attolli poſſunt, ſed conniuent magna ex parte, vt qui dormituri videantur, cum tamen is affectus ſomnus non ſit, ſed impotentia vigilandi. Lippitudines aridæ viſuntur, & ſqualida quędam oculorum diſpoſitio, qualem iis ineſſe videmus, qui per multum puluerem tota die ſub ardente ſole iter fecerũt, collapſa cauaque ſunt tempora, cum eorum caro abſumpta ſit, cutis circa faciem ſqualida & intenta, præſertim quæ circa frontem: viuidus pręterea coloris flos abiit, venter ad thoracem cõtractus, depreſſus, atque inanis, vt nullum inteſtinum, nulla viſcera ſupereſſe videãtur: nec omninò quidquam aliud quam oſſa membranis & cute obducta, quæ corij inſtar aridiſſima ſit, & digitis apprehenſa veluti corium ſtet. pulſus omnium maxime durus, ob intenſam ſiccitatem debilis, & paruus ob fortem cordis intemperiem & frequens. Addit Auicenna vngues nudari & acutos fieri, pilos elongari, & pediculos apparere.

Sola ergo conſiſtens ſimplexque hectica his ſignis deprehenditur, ſiue hectica tantum, ſiue etiã maraſmodes ſit.

Quæ verò ardentem excipit, aut quæ partis affectum comitatur, in hecticæ ſimplicis genere

contineri non poteſt: vtraque enim ex putredine nata, putredinis etiamnum inditia præſefert.

In pulſu, vrinis, ſiti aliiſque ſymptomatibus, his caloris excandeſcentia,&inæqualitates etiam ſine cibo,& crebri horrores contingunt, prę̨ſertim ſi febris putrida cõſtanter perſeueret, aut putulenta aliqua collectio ingenita ſit, quæ ſignis hecticę confuſa difficiliorem ipſius cognitioné reddunt. vt Gal. 1. de febrium diff. cap. 10.

Incipientem hecticam non facile deprehendimus, vt inquit Auic. Cauſa eſt quod diſpoſitioni propinquior ſit, Galenus tamen cap. 9. primi de feb. diff. aſſerit nequaquam ægre cognoſci, ſi ſola conſiſtat, facile tamẽ curatur, licet id abſurdũ videatur nonnullis, cum iam habitualis ſit. Verùm ſic exiſtimare oportet, incipientem hecticam nõ plane contractam eſſe: cum in ea tantum humores efferueant, neque omninò calor ſolidis partibus adhuc infixus ſit, aut habitum contraxerit, ſed in eas tamen exilire incipiat, & ex eo facile alterantibus remediis poſſe profligari. Maraſmodes, & quæ cum marcore, immedicabilis prorſus eſt: cum primigenium humidum ex ſem. contractum reſarciri non poſſit: vt in lib. de Maraſmo. cap. 5.

Quæ verò in medio collocata eſt, & ab vtráque diſcedit æqualiter, ambiguum habet ad curationem momentum, quò maraſmodi propior, eò periculo propinquior: quò ad priorem ſpeciem magis accedit, eo maiorem ſalutis ſpem obtinet.

Si febris hectica ſymptoma ſit, præſente mor-

bo curari non poteſt. Si febri putridę complicetur, difficillima curatio eſt, & mortiferum vitium, indicationibus inter ſe pugnantibus: vt Galen. x. meth. decimo, præſertim ſi phlegmone, Eriſipelas, aut ſimilis affectio internam aliquam partem occupet. Quod ſi princeps ſit, deſperata omninò ſalus eſt.

Si corde primum affectis maraſmus ſuperuenerit, celerrima mors accidit proxima huic ſi a iecinore inceperit, mox ſi à ventriculo.

Qui ab aliis partibus ortum habet, tanto ſanè tardius mortem infert quanto earum quælibet minoris præſtantiæ eſt, vt 7. meth. 6.

De curatione. Cap. XXVI.



IN curatione primum obſeruandum eſt, num ſimplex ſit hectica, an alteri affectui copulata. Quæ enim alteri morbo ſuperuenit, aut cui graue aliquod ſymptoma cõiunctum eſt, miſtam habet curandi rationem.

Simplicis autem vera ſimplexque curatio eſt, ſicut & diariarum vt 11. meth. 2. de qua tantũ nunc agere decreuimus, cęterarum. n. propria eſt ratio.

Curationis vnicus eſt ſcopus refrigerandi, & humectandi. Materię verò duplex vſus, nam aut foris admouentur remedia, aut intro ſumuntur.

Extrinſecus incidunt epithemata refrigerantia, & humectantia, aër & balnea ex aqua

dulci comparata. Intro ſumuntur, inſpiratus aër, & quę comeduntur & bibuntur: his præſidiis tota hecticæ curatio abſoluitur. Neque enim venæ ſectione aut purganti medicamento irritari debet.

Aër itaque ſi temperatus ſit, alterandus nõ eſt, ſin admodum calidus, aut frigidus, pro calido inducendus arte contrarius ne ex calida inſpiratione cor magis accendatur. Subterranea igitur quærenda domus, ſuauibus auris, & Aquilone perflata: quam etiam per euripos conducti aquarum frigidarum fontes aut earum crebra è vaſis in vaſa transfuſio, quod quidem etiam ſomniferum eſt, ſoli frequens irrigatio, & ſparſa humi frigidarum ſtirpium folia refrigerent. Quod ſi natura modice frigidus ſit, nulla nobis arte mutandus eſt. Sin frigidiſſimus, inſpiratus quidem non parum afferet commodi, prę ſertim ſi primum affecto corde aut pulmonibus hectica contigerit: ſicut ſi affecto ventriculo, aut hepate conueniens cibus & potus: dummodo immodico frigore denſata cutis calidum effluuium tranſpirare non prohibeat. Quod ſi acciderit, minorem tamen adhuc ex denſata cute læſionem, quam ex frigida inſpiratione vtilitatem exiſtimare oportet, præſertim cum facile ſit eam operimentis calefacientibus raſarcire: vt inquit Gal. decimo meth. 8. verum ne quid incommodi ſubſequatur leui flamma, aut vaporibus aquæ calidæ immoderata frigiditas corrigenda eſt. Temperatus itaque aër aut potius modicè frigidus omninò comparan-

dus, qui ad humidum inclinet, à quacunque causa febris hectica generetur.

Somnus mediocris sit, ne longior viscerum calorẽ augeat, aut breuior corporis siccitatem. Innocentior tamen paulo longior, cum præcipua ex immodico squalore læsio contingat. Lectus & indumenta vt iubet Auicenna gratum odorem frigidorum aromatum spirẽt: rosarum, violarum, santalorum, camphorę, & trochiscorum eius, violarum & similium, & subinde sæpius commutentur. Ex his odoratis parentur sacculi & frequenter odorentur. Quibus etiam frigidiora nõnulla adiicere licebit, cortices mandragoræ, sem. hyoscyami flores nenuph. & opij Thebaici modicum.

Vehemens omnis motus animi & corporis vitandus. Quærenda interea quæ mentis hilaritatem conciliant, & iocunditate delectant. Nutrimentum omne refrigerans sit, & humectans. Quantitas pro virium ratione.

Conueniet igitur ptisanæ cremor, & sæpius lotus in aqua frigida panis: vt decimo meth. 11. Iuscula item pulli gallinacei in quibus hordeum sine cortice, lactuca & portulaca coxerint & ex iure parata fercula, vt in eo maceratus vel friatus panis. Commendantur etiam pisces saxatiles, & qui tenera carne in aquis mũdis victitant: vt gobij, scorpij, aselli, aues item montanæ: probantur quoque lactucæ folia, quod vtraque qualitate conferant. Elixa assis pręferenda, quod magis humectent & facilius coquantur.

Et quoniam infirma eſt hecticis attrahendi facultas, liquidiora alimenta conueniunt ſic enim facilius concoquuntur, & diſtribuuntur: quandóque etiam aceti aliquid admiſcemus, vt diſtributionem adiuuet, etiam ſi nocere poſſe videatur, hoc.n.Gal. commendat eo nomine, & chondro ac ptiſanæ iniicit, in li. de maraſm. ca.x. & x. meth. xi. Falluntur qui putant ob infixum calorem validam ineſſe partibus attrahendi facultatem, cum ſiccitas exuperans diſtributionem impediat, & inualidas efficiat ad attrahendum, vt Galenus in eod. lib. de maraſmo docet, præſertim cum alimenta frigida vel ſubtepida imperanda ſint, vt xi. cap. eiuſdem meth. vnde ſerior inſequitur diſtributio.

Omnium autem conuenientiſſimum hectica laborantibus nutrimentum eſt lac: pręſertim vbi iam febris vlterius progreſſa ſit. Id enim facile, & plurimum nutrit, & corporis habitum inſtaurat.

Eligendum præ cæteris muliebre, vt naturæ magis cognatum & familiare. Vtilius erit ſi ex ipſo vbere ſugatur, & ita calens è mammillis in ventriculum deſcendat, vt Gal. 7. meth. 6. alioquin Aſininum, id enim tenuiũ eſt partium & ſeroſius, ex quo facile diſtribuitur, & calorem temperat. Bubulum craſſiſſimum eſt, & à butyro purgatum non inutile, pręſertim vbi valenter nutriendum ſit. Caprillum medium inter vtrũque locum obtinet, aſinino craſſius, & bubulo aquoſius.

Danda vero opera eſt, vt quam recentiſſimè mulſum bibatur: ne aëris ambientis iniuria pre-

ueniat immutatio, cum alterationi maxime pateat, vt asserit etiam Galenus eodem loco. Id autem euitabitur, si inducta prius incubiculum asina aut capra mammam ori impositam non abhorreat, aut expressum confestim nullo interposito tempore hauriat.

Esto vero lac quam dulcissimum, sibi ipsi continuum, nullam externam qualitatem gustu aut odore præseferens, & qualẽ lacti conuenit splendorem emittens. Animal florentis ætatis sit, idoneis alimentis nutriatur, mediocriter exerceatur, pullus si quem lactat, abducatur, huiusmodi lac præstantissimum est.

Cæterum animaduertendum an in ventriculo corrumpatur, an cogatur & acescat, corruptio ab exurente, calore concretio, & acor à frigore contingit, corrumpi intelliges ex ructu nidoroso, & pulsuum mutatione, languidiores enim tardiores, ac rariores fiunt, quales ore ventriculi laborantibus solent euenire: acescere, & cogi ex ventris torminibus superuenientibus, acido ructu, & omninò ægro referente. Vtrique vitio occurrendum est. Si corrumpatur, incoquenda aquæ portio, cum lacte: sin cogatur, & acescat, mellis tepidi aut sacchari momentum admiscebimus. Quod si cui serius in aluum descendat, salis etiam tantillum: vt docet Galenus 5. meth. cap 12. & decimo, eiusdem cap. xi. & quinto de sanit. tuen. cap. 7. Si vero rite in ventriculo coquatur, nullum ægrotanti incommodũ eueniet, pulsusque maiores & valentiores apparebunt.

Periculum autem fiat primum ſumptis ℥ij. aut tribus, & paulatim aucta quantitate ad ℥viij. vel etiam plures, dũmodo id optime concoquatur.

Offeratur mane, aut omninò ventriculo vacuo, cibum horis quatuor antecedat: aut quotquot lactis aſſumpti quantitas, & ægrotantis natura ad coctionem indigeat. Ab aſſumpto lacte ſomnum obeſſe plerumque frequens experientia & multorum ſcripta teſtantur, quod in nidorem facile vertatur.

Licebit eodem tempore, quandóque aliis potionibus vti refrigerantibus & humectantibus alteratis iuſculis, ſyr. è nymphęa, viol. è papauere è portulaca, è ſucco endiuiæ, roſato, additis aquis conuenientibus, lactucę, end. nenuph. portulacę, lentiginis, aquæ fluentis, prout magis vel minus refrigerandi conſilium fuerit.

Parantur etiam ex lacte vtiliter fercula, cum amylo, aut farina hordeacea aut mica panis ſæpius aqua frigida lota. Alexan. lib. 12. cap. 4. ptiſanę & chondro concoqui iubet, ſi per ſe ſumptum male conficiatur. Singulariter autem conferre lac ait quibus aluus copioſa & bilioſa excrementa deiicit: vbi vires infirmæ ſint, èxpreſſionibus contuſis, carnibus diſtillatis, & inſtaurantibus erit vtendum.

Laudantur à nonnullis cancrorum, Aſtacorum, teſtudinum nemoralium, & coclearum carnes, neſcio quam iuſta ratione, vbi vires adeo labefactatę ſint. Præſtat enim humidioribus vti quo facilior ſit alimenti diſtributio, præſertim cum hæc

alimenta valido etiam ventriculo negocium facescere possint, & crassum succum generent. At vbi vires sarciri iam cæperint, caseo recenti & solidioribus adductis innoxie vescentur, paratur quoque vtiliter conditum instauratiuum, quo interdiu vtatur, si alimento opus sit.

♃. quatuor sem. frig. recenter mund. sem. papau. albi pulu. elect. resumptiui, pulu. diatragachant. frigidi an. ℨij. amig. dul. temperatarum in aqua viol. ℥iij. fisticorum & pinearum similiter præparatarum an. ℥iß. passul. mund. ab arillis ℥ij. conseruæ viol. & florum nenuph. an. ℥iß. sacchari q. s. fiat conditum, quo vtatur vbi alimẽti necessitas sit refrigerat enim & humectat, & valenter nutrit. Huic aliqui addũt carnes capi aut testudinum nemoralium, vel cancrorum, sed hæc efficacius quidem, at paulo difficilius concoctu reddent. Parabitur autem in forma morsellorum, quæ commodior est. varia & innumera poterunt componi huius imitatione, quæ pari facultate pollebunt.

Potus sit aqua hordei, vel per se, vel cui sem. coriandri præparata incoxerint, vel syr. vel iulep. aliquis refrigerans admisceatur: viol. è nymphea, ros. è papau. Plurimum laudatur ab Auic. aqua hordei in qua cancrorum caro abiectis testaceis coxerit, oportet autem cancros prius excorticari, & diligenter lixiuio primum, deinde aqua frigida ablui, vt fædum odorem deponant: deinde singulæ vncię singulis libris aquæ hordei incoquuntur. Hoc potionis genus miram habere vim

creditur aduersus tabem. Cęterum omnis potus frigidiusculus sit, vt iubet Gal.x. meth. x. quod maturè incalescēs & per corpus digestus nullam ventriculo frigoris noxam inferre possit. Alexan. iubet a cibo aquam frigidam propinari, quantum æger appetat: modo nulla subsit viscerum inflammatio aut putredo, quod quidem non omninò Galeni sententiæ consentire videtur: cum extenuatum corpus & exangue frigoris iniuriis pateat, quæ ab immodico gelidæ potu inferri solent, vt docuit 9. meth. 5. & periculum sit, ne interea noui affectus accessione malum conduplicetur. Tutius igitur est nec adeo multam aut gelidam exhiberi: sed immoderatam ęgri appetentiam moderato potu & continentia temperari: si metuatur syncope, vino tenui vtendum, vt Gal. iubet, & vbi virium infirmitas vrgeat.

Quæ exterius admouentur, balnea sunt, aut vnguenta, & epithemata.

Quod ad balnea attinet, & si veterum balneorum curiosus apparatus & eorum consuetudo exoleuerit, tamen cum efficacissimum huic malo remedium sit, procurandū est, vt quod consuetudinis & temporum ratio dettahit, cura restituat.

Labrum aqua plenum proxime lectum disponatur, dulci, modice calida, vt in eam ęger citra omnem laborem descendat, mora sit pro virium ratione, & quanta humectationi corporis satis sit ne longior substantiam exhauriat. Alij vaporem prius balnei experiri salubrius iudicant, hoc modo.

Linteo cõuolutus æger, à quatuor miniſtris detinetur ſuper labrũ, ita vt ore quidẽ frigidũ aërẽ reſpiret, reliquo vero corpore coopertus per lintei raritatẽ balnei vaporẽ excipiat, dũ rare factos corporis poros exiſtimemus. Tutius erit ſi quiete interpoſita vires reſumantur. Reſumptis viribus in aqua mergendus eſt, vt totus corporis habitus humectetur.

Frigide mox balneũ veteres imperabant, vt cõceptũ à priore lauacro calorẽ extingueret: vires firmaret, & immiſſã ſolidis partibus humiditatem denſata cute ſiſteret. Huius vſus iãpridẽ cępit eſſe ſuſpectus, metuentibus ne frigidę impetus gracilium corporũ in profundũ ruens viſcus aliquod, & neruos male afficiat. Iis vix tantũ eſſe tutũ vſum: quibus vires optimè cõſtãt, modo ęſtas ſit, tẽperamẽtũ calidũ & ſiccũ, & frigidi balnei cõſuetudo Gal. tantũ ei tribuit x. meth. ca. x. vt inutile prorſus balneũ hectica laborãtibus eſſe dicat, niſi poſtremo frigidę robur acceſſerit: aliqui calidũ lauacrũ alimẽto febri potius & incremẽto eſſe quam remedio, & magis diſcutere quã humectare. Imminentẽ noxã leuẽ eſſe, ſi ad vtilitates cõferatur, nullóque præterea remedio morbũ hunc melius expugnari. Et tanto ſatius eſſe aliquod nõnulla fiducia vel cum aliquo periculo facere, quam ſpe adẽpta certo perire, quanto ſatius eſt potentibus præſidiis pugnare, quã nihil agere. Studendũ itaque ſũmopere eſt, vt quã minimo incõmodo, frigidi balnei cõmoda aſſequãtur. Id autẽ cõtinget, ſi idẽ labrũ ꝓ corporis indigẽtia varie tẽperetur.

Primo igitur in modicè calidam ęger mergatur vel descendat, hæc, vbi in ea aliquantulum moratus sit, nisi interea conuenientem teporem acquisiuerit, iniecta frigida ad exactum teporem reducatur. Vbi iam balnei tædere hominem cæperit, tantum frigidæ admiscendum, quantum ad aquam balnei aperte refrigerandam sufficiat. In calido parua sit mora, in tepido mediocris, in frigida minima. Hac ratione, balnei partes omnes experietur, & nullum ex frigido periculum, nullum incommodum, sed summam vtilitatem percipiet.

A balneo exiens, superiecta syndone, in lecto collocandus, mollibus linteis humor ebibendus, & blandissime detergendus, ita vt neque vllus labor aut sudor excitetur. Corpus deinde suauiter inungi debet, ne concepta humiditas exoluatur, & corpus muniatur aduersus aëris ambientis iniuriam oleo nenuph. viol. rosaceo è cucurb. amig. dul. communi, modo nullum horum rancidum sit, aut salis particeps. Ante balneum iubet Auicenna lac super ægrotantis corpus mulgeri, quo facilius balnei humorem excipiat.

Iubent aliqui balneo incoqui flores & folia refrigerantia, vt folia salicis, cucurb. flores ros. viol. nenuph. Gal. sola aqua dulci vtitur.

A balneo, & vbi corpus inunctum fuerit aliquid propinandum quod optime nutriat, & facile concoquatur, & ptisanæ cremor ex lacte vt iubet Auicenna, Galenus Alicam etiam laudat, vel si lacte delectetur, rursus lac iubet propinari,

eodem

eodem ritu quo prius imperatum eſt. Noſtris temporibus optimè conuenient iuſcula pulli gallinacei refrigerantibus alterata: pridie balnei ſi aluus adſtricta ſit, clyſtere molliente ſubducatur. Cauendum autem ſummoperè eſt, ne inani prorſus & famelico ventre balneo vtatur, aut dũ ſubeſt cruditas: alterum.n. putredinẽ generat, lactis potio, vel cremoris ptiſanæ vel alterius liquidioris alimenti ſumptio balneum horis tribus aut duabus ſaltẽ antecedat: ita vt ad vnguẽ prius cõfectũ eſſe conſtet, vt monet Gal. 7. meth. 6. loto corpore tantũ tẽporis ante prandium interponi debet, quantũ ad iuſculũ vel aliud liquidius cõficiendum quod à balneo ſumptũ fuerat, ſatis eſſe poſſit. Interea quies vtilis eſt, & ſomnus, modo ſudor non effluat. Deinde prandium offerẽdum, ne lõgiore inedia, aut ſiti vires exoluãtur, aut paulo poſt balneũ cibus exhibendus, alimẽto nullo interpoſito. Hoc remedium toto tẽpore morbi efficaciſſimum eſt. Aliqui interpoſitis diebus aliquot, triduo aut quatriduo tantũ vti iubent: ego verò eo vtilius exiſtimo, quo frequentius: modo tempeſtiuè adhibeatur, & ægrum delectet.

Præterea epithemata imponẽda ſũt, vt expreſſus calor ſenſim remittatur, qualia deſcripſit Gale. x. meth. 9. verũ quoniã nonnullorũ vſus ferè exoleuit, his vtẽdũ quę tẽporũ ratio ſuppeditat, deligẽda verò ſunt quæ citra vehemẽtẽ adſtrictionẽ refrigerãt, ne denſata cute medicamẽta intro ſubire prohibeãtur. Commendatur hoc quod ſequitur.

Sumantur ceræ lotæ ℥iij. olei roſ. omphacini,

ſimilitẽr loti ℔. 1. liquefiãt, vbi liquefacta fuerint refrigeſcant, deinde ſubigãtur aqua frigidiſſima, vel ſucco lactucę, portulacæ, ſemper viui, ſi vehementius refrigerare conſilium ſit, fiat ceratum. Quod ſi vbi coire cęperit vas in quo continetur, in aquam frigidiſſimam dimiſeris, magis refrigerabit. Si aceti quoque modicum adiunxeris, fiet efficaciſſimum. Inungatur eo pars, vnde hectica primum nata eſt, ſi ita contractam eſſe contingat, deinde venter, hypochondria, dorſum, renes. Similiter farina hordei ſucco lactucæ ſemper viui, acetoſæ, portulacæ, end. roſarum ſubacta ventri & hypocondriis apponitur, aut duplicatum linteolum harum herbarum ſucco imbutum: vel ipſe herbæ tuſæ imponuntur. Verùm thorax & ſpiritales partes facile læduntur, ſi importune refrigerentur, idcirco propria quędam his partibus magis conueniunt.

℞. olei viol. vèl è ſem. cucurb. ℥iij. lauentur ſæpius cum aqua hordei, & inungatur pectus, vel oleum papaueris recenter extractum addita ſubtripla quantitate olei amig. dulc. recentis, temperetur & pectori inducatur. Nonnulla etiam epithemata cordi maxime conueniunt, vt quod.

℞. aquarum bugloſſi viol. roſ. acetoſæ an. ℔. ß. vini albi tenuis, & aquoſi ℥iij. ſpecierum ad epithemata cordis frigidarum ʒ. vi. vel ℥1. Quod ſi paratę non ſint, temperatis addemus trociſcho rum ẽ camph. ℥ij. aceti ℥ß. & ita pannis in ſuccatis applicabuntur cordi epithemata, vel ſic præſcribentur.

℞. omnium ſantalorum, vtriuſque coralli an. ʒiß. margaritarum præpar. cornu cerui vſti an. ʒi. cum præſcriptis liquoribus parentur epithemata, & cordi applicentur. Addere licebit trochis. è camph. ʒiß. vel ij. vel camphore gr. iij.

Renibus autem hoc medicamentum ſingulariter proficit, ſumuntur olei roſ. optimi ℥iij. omphacinum erit præſtantius, ſæpius aceto abluti deinde ſucci acetoſe, vel ſemper viui vel ſolani, ſubdupla quantitas, & modica cera lota aqua frigida addita, fit ceratum.

Verùm in horum omnium vſu, animaduertendum eſt: medicamenta hæc ſubinde commutari oportere, ne diutius admota incaleſcant, & calorem augeant.

Symptomatum præterea non parua habenda ratio eſt, cum curationem interpellent.

Si alui fluor ſuperueniat, qui frequenter ſolet accidere, refrigerantibus modice adſtringentia miſcenda ſyr. è cydon. myrtinus, roſatus è roſis ſiccis, ptiſana hordeacea, & aqua hordei, ex hordeo torrefacto paretur: quibus etiam addemus gummi arabicum, ſi lubeat. Vtatur Auenato quod refrigerando alui fluxionem ſupprimit, recenti caſeo, milio torrefacto, & ſimilibus.

Si à ſyncope metuatur, vino vtendum tenui & aquoſo, vt virium & febris ſimiliter ratio habeatur, Conuenit etiam vinum granatorum, quod ex dulci ſapore acorem referat. Inſuper

colatitia, instaurantia, expressiones carnium, & distillata.

Si sitis vrgeat interdiu, vtatur iulep. aliquo refrigerante, & humectante.

℞. aquæ viol. ℥viij. endiu. ℥iiij. sacch, albiss. q. s. fiat iulep. vtatur sitis tempore, pro sacch. albo aliquando substituatur sacch. violat. In hanc formam multa parari possunt quæ ægrotanti grata & vtilia futura sint.

FINIS.

